



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Felicis Potestatis Panormitani Ordinis Minorum S.
Francisci de Observantia ... Examen Ecclesiasticum**

Potesta, Felice

Coloniæ, 1712

Pars I. De regula actuum humanorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40060

PARS PRIMA

De Regula actuum humanorum.

CAPUT I.

DE CONSCIENTIA.

Regula interna actuum humanorum.

5 **C**onscientia est diſtamen, ſeu iudicium rationis, quo quis iudicat aliquid hic, & nunc eſſe licitum, vel illicitum, ac proinde hic, & nunc agendum, vel omittendum, ex præcepto, vel conſilio. A ſynderesi differt, quia ſynderesi iudicat de principiis moralibus, univerſalibus, & conſcientia verò de conſuſionibus particularibus ex illis deductis.

Intellectus enim hoſter practicus actiones noſtras in genere moris dirigit per hunc, & ſimiles ſyllogiſmos, v. g. *Tempore Quadrageſima, quæ eſt ſub talibus circumſtantibus, ut habeat neceſſitatem carnis, non tener abſtinere à carnibus; ſed hodie, quo eſt tempus quadrageſimæ, ego ſum ſub talibus circumſtantibus, puta in diſpoſitionibus, &c. ut habeam neceſſitatem carnis, ergo non teneor hodie abſtinere à carnibus:* in quo, & ſimili ſyllogiſmo majorem univerſalem format ſynderesiſ, ſeu ethica; minorem verò particularem, & conſuſionem eſſormat conſcientia, ſeu prudentia: in qua minori eſſormanda, nempe quòd hic, & nunc habeam neceſſitatem carnis, diverſa imò major difficultas habetur, ita ut ſæpè viri doctiſſimi, qui faciliter iudicant de majori, neſciant ſe determinare ad minorem, quia pendet ex variis conſiderationibus, & circumſtantibus particularibus, quæ haud ita faciliter diſcernuntur ab omnibus.

6 Ex quo fit, quòd quamvis in univerſali iudices eſſe in quadrageſima jejunandum, ſi ta-

men in particulari iudices hic, & nunc, & ſub talibus circumſtantibus, non eſſe à te jejunandum, non jejunando, non peccas, quia licet agas contra prius iudicium, non agis contra poſterius, in quo propriè conſcientia conſiſtit.

7 Conſcientia igitur eſt intrinſeca, & proxima regula, juxta quam ſuas actiones homo dirigitur tenetur, à qua proximè derivatur in actum moralitas, bonitas nempe, aut malitia; lex verò externa eſt regula remota, in quantum eſt radix, unde oritur bonitas, aut malitia obſecti; quia tamen non transfundit in actum bonitatem, aut malitiam, niſi ut eſt in conſcientia, & ab ea proponitur voluntati, ideo conſcientia eſt regula proxima, cui ſi actus cõformentur, ſunt boni, ſi difformentur, mali.

Hinc non rarò contingit, ut actus ſit bonus, & obſectum in ſe malum, & è converſo; unde ſi quis ex invincibili ignorantia iudicare, licitum eſſe furtum ad faciendam eleemoſynam pauperi graviter indigenti, furando non peccaret, quamvis ejus obſectum ſit in ſe malum: quia actus non ſpecificatur ab obſecto, ut eſt in ſe, ſed ut à conſcientiæ diſtamine voluntati proponitur.

Conſcientia dividitur in rectam, erroneam, dubiam, probabilem, & ſcrupuloſam.

CONSCIENTIA RECTA.

8 **S**eu certa, eſt qua iudicat obſectum eſſe honeſtum, vel turpe, præceptum, vel prohibitorium, ſicut revera eſt, abſq; ſormidine de oppoſito: ut cum iudicas, ex nulla cauſa licitum eſſe mendacium.

CON-

CONSCIENTIA ERRONEA.

Esset, quæ ex principio certè falso falsam conclusionem deducit; seu, quæ dicitur aliquid esse faciendum, vel non faciendum, quod revera non est tale, absque motivo probabili: ut cum quis iudicat licitum esse mentiri ad reparandum damnum alterius, & inde concludit, hic, & nunc sibi licere mentiri ad reparandum damnum sui filii.

10 Conscientia erronea ex ignorantia invincibili obligat ad actum dictatum, non obstante, quòd objectum sit revera malum; unde excusat à peccato, imò peccas, si ei non conformeris; quia ex n. 7. Conscientia est regula proxima, secundum quam actus nostri regulari debent, etque conformari, ut sint boni; unde quòd est contra conscientiam, peccatum est; juxta illud Apost. ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* Hinc conscientia erronea dicitur recta, non simpliciter, sed secundum quid, nempe in ordine ad nos.

11 Qui peccat ex conscientia erronea, peccat peccato ejusdem speciei, & equalitatis, quam intellectus iudicat; quia objectum specificat actum, prout hic, & nunc ab intellectu proponitur. Unde, qui habet rem cum libera, putans eam conjugatam, adulterium committit.

12 Et licet sufficiat in confessione dicere; *Adulterium commisi*, absque eo quòd exprimat id fuisse ex errore, consultius est, si aperiat.

13 Conscientia erronea ex ignorantia vincibili non obligat voluntatem, nec ad operandum, nec ad non operandum, sed ad errorem deponendum; ita ut sive juxta eam, sive contra eam agas, peccas; gravius tamen, si contra; quia quando ante consensum tibi occurrit exprella dubietas, aut prudens suspicio erroris, cum possis liberè vincere errorem, illumque deponere, vel attentius rem considerando, vel consilium querendo à viro putato docto (ut supponitur) si non deponas, te exponis peri-

culo peccandi; & inde peccas, tam si juxta, quam si contra conscientiam agas. De Ignorantia factis dictum est in *tom. 2. n. 375.*

14 Diligentia ad ignorantiam vincendam, & ad nostras obligationes investigandas, non debet esse omnis possibilis, quia sic totam Civitatem quis circumire deberet, quòd est valde durum humanæ conditioni; sed facienda est more humano, & remittenda iudicio prudenti hic & nunc, & juxta qualitatem materiæ: major enim diligentia est adhibenda in iis, quæ sunt juris naturalis, quàm positivi; major, ubi adest damnum tertii, quàm ubi non adest major, dum de vita, quàm dum de bonis agitur. Et universaliter ad illam diligentiam tenemur, quæ sufficit ad formandum iudicium probabile de re, quàm inquirimus juxta dicenda de conscientia probabili à n. 60.

15 Hinc, si dubitas, an hodie sit jejunandum, non teneris adire Episcopum, aut Parochum; sed sufficit, si interroges concionatorem, aut virum probum, qui prudenter existimetur, quòd sciat. Si dubitas, an hoc sit peccatum, requiritur, quòd interroges virum doctum in morali versatum. Si dubium sit in fide, requiritur, quòd consulas virum doctiorem, & in Theologia peritum aut Parochum.

16 Quòd si hic & nunc reperiaris sub talibus circumstantiis, ut immineat executio, aut omisso operis, quam conscientia dicit, & tu non possis conscientiam deponere, in quantum non adest, quem consulas; tunc ignorantia redditur invincibilis, quoniam hic, & nunc eam superare non vales. Unde talem conscientiam sequi teneris, & non peccas, quia est conscientia invincibiliter erronea. Et ex D. August. *lib. 3. de lib. arbit. cap. 19. Non tibi deputatur ad culpam, quòd in vitis ignoras, sed quòd negligis querere, quòd ignoras. v. n. 10. c. 33.*

CONSCIENTIA DUBIA,

17 *S*eu dubiū, est suspensio intellectus circa utramque partem contradictionis: Secum habetur, quando intellectus pendet in æquilibrio, in neutram partem potius inelinans, saltem notabiliter, etiam si aliquantulum leviter conjetaret sine probabili ratione de altera earum.

18 Ab opinione differt, quia dubitans ad neutram partem se determinat, sed anceps manet, & suspensus; opinans verò determinatè unam partem assentitur.

19 Dubium est duplex, negativum scilicet, & positivum. Negativum, est suspensio intellectus ex defectu motivi, & rationis, circa utramque partem contradictionis. Sic rusticus dubitat, an hodie debeat jejunare ex sola ignorantia, quia nescit, an sit, vel non sit præceptum. Positivum est, cum intellectus consideratis rationibus, & motivis, sive levibus, sive probabilibus, pro utraque parte contradictionis, manet in æquilibrio, & suspensus, ad neutram partem se determinans.

20 Ex quo tria colliges, 1. quòd si rationes leves sint pro utraque parte contradictionis, dubium est positivum; quia ex motivis positivis. Imò rationes leves fortius causant dubium, quàm probabiles. Si verò ratio levis sit pro una solùm parte, dubium est negativum, & ratio est contemnenda pro ea parte, pro qua stat, quia dubium debet esse prudens.

21 Secundo, quòd dubium ab opinione differt, non quia opinio habet rationes probabiles pro utraque parte, sed quia est iudicium, & assensus determinatus ad alteram partem, licet cum formidine de opposito: dubium verò dicit suspensionem assensus, & iudicii determinati ad alteram partem; nam sæpè, licet sint rationes probabiles pro utraque parte, intellectus inexpertus nescit prudenter se determinare ad alteram partem sed manet dubius, & suspensus; hinc stat dubium cum motivis

probabilibus pro utraque parte, quæ in intellectu experti, & prudentes sufficerent ad formandum iudicium determinatum opinativum, seu probabile.

22 Tertiò, quòd ad dubium tria requiruntur, 1. suspensio iudicii in utramque partem, 2. cogitatio de utraque parte contradictionis, 3. quòd suspensio sit ex defectu motivi actu determinantis ad alteram partem. Hinc, si quis non cogitet de utraque parte contradictionis, tunc nec erit dubium, sed distractio, aut obli-vio, de qua non curamus.

23 Item dubium est duplex, juris, & facti. Dubium juris est dubium de lege, seu obligatione, ut cum dubitas, an hodie urgeat præceptum audiendi sacrum, vel non. Dubium facti est, cum dubitas, an aliquod opus sit factum, vel omissum, ut cum dubitas, an confessus sis peccatum, quod commisitisti, vel non. An horas recitaveris, vel non.

24 Denique dubium aliud est speculativum, aliud practicum: speculativum est, quando dubitas de malitia, aut bonitate objecti, seu actus in genere; ut cum dubitas, an hodie sit præceptum audiendi sacrum: An res, quam possides, sit tua, &c. practicum est, quando dubitas de malitia, aut bonitate actionis hinc & nunc exercendæ: ut cum dubitas, an hodie excuseris ab auditione sacri: An hic, & nunc tenearis rem restituere.

25 Qui operatur cum conscientia speculative dubia, non peccat, si practice iudicet opus illud esse hic & nunc sibi licitum, quia conscientia practica est regula proxima: v. num. 5.

26 Qui verò operatur cum conscientia practice dubia, peccat peccato ejusdem qualitatis, & speciei cum eo de quo dubitat; quia se exponit periculo peccandi eo peccato, cum non habeat iudicium determinatum de honestate sui actus: v. num. 11.

27 Hinc debet suam actionem suspendere, donec re mature, sed humano more examinata, dubium prudenter deponat, formando iudicium determinatum de honestate actionis: n. 77. 14. & 15.

28 Dubium autem deponi debet prudenter, & rationally, & non sufficit, si leviter ex solo voluntatis imperio; unde motivum esse debet rationabile, & prudens, sufficiens ad formandum iudicium prudens.

29 Hic valde juvat attendere ad regulas juris communis, præsertim ad duas: *In dubio tutior pars est eligenda: In dubio melior est conditio possidentis.* Quæ regulæ non sunt oppositæ, nam si superveniat dubium, an res, quam bona fide possides, sit alterius, tunc, si facta diligentia, non certe tibi constet esse alterius, sed adhuc maneat dubius, tutius est, ut teneas partem, quæ possessioni favet: juxta aliam regulam: *Tene certum, & omitte incertum.* Et in dubiis benigniorem partem sequi non est minus justius, quam tutius.

30 Si facta diligentia invenias motivum, quo dignoscas, alteram partem esse verè probabilem, tunc potest illam eligere, juxta dicenda de conscientia probabilis; quia tunc conscientia dubia transit in probabilem.

31 Si facta diligentia adhuc maneat dubius, tunc debes operationem suspendere, usquequo ulteriori diligentia adhibita rationabiliter dubium deponas.

32 Quod si necessario operari debeas, tunc debes eligere partem tutiorem, nempe id, in quo non est periculum peccandi; aut id, quod est minus malum; nam *ex cap. duo mala. Sc. Nervi, dist. 4. ex duobus malis minus est eligendum*, de quo fultus infra: tunc inquam non eligit illud, ut malum, sed ut bonum, quia hic, & tunc in tali casu nil facere potest, quod melius sit. Denique, si utrumque appareat æquale, tunc potest eligere, quod vis, quia tunc i-

gnorantia est invincibilis. Quod est verum, etiam si in tales angustias confictus reperiaris ex tua præterita negligentia culpabilis; tunc namque sufficit, quod de præterita negligentia doleas.

33 Exemplum. Si die festo tu assistens infirmo periclitanti, dubites, aut ex conscientia error ea putes esse æquale peccatum deferere infirmum, & omittere sacrum, & diligentiam adhibere non valeas, quatenus peritum promptum non habeas, quem consulas: tunc potes sine peccato, quam partem mavis eligere; quia in tali casu ignorantia est invincibilis operatio imminet, & non vales utrumque præceptum exequi Charitatis, & Religionis.

34 Cæterum regulæ n. 29. relatæ sunt ferè sufficientes ad rationally deponendum dubium, quando propria materia motiva non suppetunt; unde breviter expenduntur.

In dubiis tutior pars est eligenda.

35 Hæc regulæ non semper habet vim præcepti, sed sæpè vim consilii.

36 Tenemur ex præcepto partem tutiorem eligere in dubiis sive facti, sive juris, quo ad valorem Sacramentorum. Item quando aliter immineret proximo periculum gravis damni, seu quando non licet sequi opinionem probabilem, relicta tutiori, ut infra.

37 In aliis verò materiis non est cum tanto rigore discurrendum, non tenemur inquam eligere partem tutiorem, nisi lex aliqua præcipiat, ut pars tutior eligatur; quod maximè est verum, si ex parte tutiori grave aliquod incommodum sequeretur. Ratio est, quia in aliis materiis non habetur periculum, quod in prioribus casibus, quale est periculum invaliditatis Sacramenti, aut damni gravis proximi.

38 Exempla. Si dubium sit, an infans fuerit baptizatus: An sub legitima forma, & intentione, debet iterum sub conditione baptizari. Sic

Sic medicus tenetur tutius medicamentum eligere, si possibilitas adest.

39 In dubio, an sis illegitimus, aut irregularis, non teneris sequi partem rigidiorē, & tutiorem, quod sis talis; quia melior est conditio possidentis; & in dubiis favendum est Reo; nam Reo sufficit obligationem negare, quam Actor tenetur probare. Quo non obitante, *ex cap. Ad audientiam, & cap. Significasti*, determinatur, quod in dubio homicidii cenferi debeat quis irregularis, & quod teneatur se abstinere à ministerio altaris, ubi lex potius attendit ad reverentiam Altaris, quam ad commodum privatae personae. Eum tamen non jubet beneficiis Ecclesiasticis spoliari, quia non vult ob solum dubium tam notabile detrimentum inferre.

In dubiis melior est conditio possidentis.

40 Quae regula universaliter locum habet, nedum in materia justitiae, verum etiam in materiis aliarum virtutum, voti, legis, &c. quia universaliter jus actuale certum unius, quod in actuali possessore supponitur, non debet vinci per jus dubium alterius. Hinc qui bona fide possedit equum, non tenetur eum restituere per dubium superveniens, quod sit Petri.

41 Item locum habet nedum de possessione rei, aut juris, seu legis, sed etiam libertatis: ita ut, si facta diligentia, adhuc dubium perseveret, licitum est dubitanti suae libertati favere, & partem, quam vult, sequi, ut à n. 29. quia libertas est maximum bonum naturale à Deo collatum homini, qua voluntas dicitur potentiarum animae Regina, & de qua Poeta cecinit: *Non bene pro toto libertas venditur auro*. Unde nemo est spoliandus libertate ob obligationem dubiam.

42 Libertas autem cedit legi, ita ut si possessio stet pro lege, spoliatur homo possessione suae libertatis; quia nostra libertas non est à lege soluta, sed subdita Deo, & inde potestati,

juxta illud Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatis sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo: Et itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

43 Exempla; In dubio, an lex adsit, aut praecipuum, manet in possessione libertas; quia nemo spoliari potest jure, quod certo possidet: per obligationem dubiam, aut impedimentum dubium.

44 Hinc eum, qui dubius de media nocte comedit, & qui mane incepit dubitare, an comederit, aut biberit post mediam noctem, posse mane communicare, docent Diana, Bardi, Vericelli, & alii Doctores gravissimi. Et similiter eum, qui nocte Jovis dubitat, an sit media nox, posse carnibus vesci: v. ver. Jejunium.

45 In qua tamen te ego puto, ut sic dubitans, ob Sacramenti reverentiam, mane à communione se abstinere, nisi adsit necessitas, aut urgens causa communicandi.

46 Certus de lege, dubius tamen, an casus particularis sit sub ea comprehensus, non ligatur lege, sed stat in possessione libertatis: quia pro tali casu in particulari non constat de lege. Unde si es certus de praecipuo, quod hodie sit dies festi, & tenearis ab operibus servilibus abstinere; dubites tamen, an pingere, aut typos componere, sit opus servile, non obligaris ab illo abstinere. Semper tamen recurrit dicta de diligentia praemittenda ex n. 13. ad 16.

47 E contra, si constat de lege, sed dubites, an ei satisfeceris, satisfacere teneris; quia possessio stat pro lege, cui quidem cedit libertas. Hinc dubitans, an horas persolverit, tenetur illas persolvere.

48 Dubius de legis justitia, obedire tenetur, quia superior est in possessione juris praecipuendi, quo spoliari non potest per parum dubium subditi.

49 Certus de lege, dubius, an sit acceptata,

aut

ant postea abrogata, lege ligatur, quia possessio fit pro lege, quæ est prior dubio. Quamplures autem tenent, dubium, an lex sit acceptata, non ligari lege; quia cum lex saltem civilis sine acceptatione sit invalida, dubium, an lex sit acceptata, par est, ac dubium, an lex adsit, de quo n. 199. unde possessionem stare dicunt pro libertate.

CONSCIENTIA PROBABILIS.

50 *Est iudicium gravi ratione, vel auctoritate munitum.*

51 Dicitur probabilis extrinsecè per auctoritatem; intrinsecè per rationes ab auctoritate distinctas.

52 Differt à conscientia dubia, quia in dubio motiva relinquunt intellectum suspensum, in opinione per se sufficiunt ad determinandum intellectum prudenter ad alteram partem. Quæ differentia non semper provenit ex parte motivorum, sed etiam sæpè ex parte solius intellectus, virtutem motivorum penetrare nescientis.

53 Item opinio alia est verè probabilis, quæ scilicet gravi nititur fundamento: alia est tenuiter probabilis, quæ scilicet est leviter, aut dubie probabilis, in quantum levi nititur fundamento; unde improprè dicitur probabilis, non verè; quia cum sit levi munita fundamento, non est sufficiens ad formandum iudicium prudens, quòd secundum eam liceat hic, & nunc operari. Talis 1. est opinio, quam unus, vel alter docet, & non habet rationem intrinsecam; vel si habet, non est firma, sed levis, 2. Si unus, vel alter eam docet, quamplures autem Doctores classici eam parùm tutam, aut non audiendam asserant. 3. Si per transitum unus, vel alter eam asserat, sine sufficienti examine, præsertim si alius, qui ex professo de ea agit, firmat, ratione oppositum teneat. In his namque, & similibus casibus, cum talis opinio sit leviter probabilis, & ad summum dubiæ

Potes. Exam. Ecclesiast. Tom. 1.

probabilitatis, non licet ei prudenter adherere; sed eligenda est pars tutior, juxta regulam dubii. v. prop. 3. ab Innoc. XI. *damn. p. 5.*

54 Unus autem auctor potest facere opinionem verè probabilem, si plures classici Doctores pro ea citet, & sit fidus in citando: hac ratione, qui libros non habet, rectè agit, dum acquiescit consilio alicujus viri docti in morali periti, asserentis talem opinionem esse probabilem.

55 Item potest contingere casus, ut opinio unius Doctoris sit verè probabilis, etiam si quamplures Doctores contrarium teneant; si Auctor ille non sit novitatis amicus, sed veritati studeat, & valdè peritus, quod ex aliis ejusdem doctrinis colligi potest; & si rationes ita firmas asserat, quæ faciliter aliorum rationes infringant; ratio enim est anima legis.

56 Demùm idem est, si Auctor ille suam asserentem firmiter ex principiis communibus deducat.

57 Hinc nonnullas propositiones damnas videmus, quæ antea ut firmæ à quamplurimis vulgatis Doctoribus docebantur.

58 Præfatis autem qualitatibus, & administratis seclusis, non sufficit unus Auctor modernus ad constituendam opinionem probabilem. v. prop. 27. ab Alexand. VII. *damn. p. 3.*

QUESTIO

59 Celebris est: *An liceat sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, si concurrat opinio probabilioris, seu tutioris.*

Asertio 1. Quando agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non, licitum est sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, seu tutiori.

Hæc sententia non est moderna, ut dicunt contrarii, maximè Fagnanus in 1. *lib. Decr. C.*

C

No

No imitatis, &c. & Gonzales; sed satis antiqua, quam innumeri Doctores, tam recentēs, quam antiqui, docent, quos referunt, & sequuntur Verricelli *tr. 2. quest. 10. Tamb. rom. 1. lib. 1. c. 3. 8. 4. num. 22. Maltrius dis. 1. qu. 4. Cardenas dis. 4. c. 1. Gobat rom. 1. tr. 1. n. 100. & tom. 2. Inquinario tr. 1. Mendo in Epith. in discursu circa opin. prob.*

60 Ratio principalis est; Primò, quia qui operatur juxta opinionem minus probabilem, & minus tutam, non temerè, sed prudenter operatur, quoniam non ex levi, sed ex gravi fundamento movetur; opinio enim minus probabilis, & minus tuta est gravi fundamento munita, est namque fermo de opinione minus probabilis, quae est verè probabilis, & tuta; & cum liceat prudenter operari, licitum est sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, quae sit verè probabilis, probabiliori, & tutiori relicta, quando agitur de sola honestate actionis.

61 Secundò, quia sententia, quae universaliter in omni materia negat, non parum angit conscientias scrupulis, 1. Quia multiplicat obligationes, & praecepta, dum universaliter obligat ad seligendas opiniones probabiliores, & tutiores, 2. Quia frequenter difficile est, praesertim timoratis, opiniones statim ponderare, & inde probabiliores seligere; nam etiam quoad hoc non vulgare est dissidium inter Auctores peritissimos, qui sibi contradicunt; quilibet enim probabiliorē suam putat opinionem, id negantibus aliis; quod maximè liquet inter Doctores celebres duarum insignium scholarum Thomisticae, & Scoticae, Jugum autem Christi est suave, & onus leve.

Confirmatur: leges divinae positivae sunt interpretandae benignè, *Eccli. 4. In judicando esto pupillis misericors.* Et *Math. XI. Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Ita & leges Ecclesiasticae, & Canonicae, *cap. obligant 26 q. 7.*

Eò maximè quia jus Canonicum imitari debet jus divinum, quoad fieri potest; *Innoc. 3. C. qualiter. & quando 2. de accusat. Qualiter. & quando à Magistratu Ecclesiastico procedendum sit ad puniendos subditorum excessus; ex auctoritatibus novi & veteris Testamenti colligatur, ex quibus postea processerunt Canonicae Sanctiones.*

Et *Getfon n. 133. apud Gobat rom. 2. tr. 1. sect. 12. n. 180. Cum nulla juris ratio patiatur, ne quae salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad severitatem text. l. 15. ff. de leg. Idem monitum in specie de lege positiva Christi quoad Confessionem Sacramentalem confessorii tradit Jacob Granadus 5. part. de Sacram. Controv. 7. tr. 14. ref. 5. Cum ad Sacramentum Penitentiae accedere sit unum ex difficilioribus, quae humana imbecillitati in lege Christi praecepta sunt, reddantur, quoad fieri potest, minus difficilia, quae ad illius usum, seu suspensionem spectant.*

Cum igitur Confessorius sequendo opinionem benigniorem, quae sit verè, & certò probabilis, minus difficilia reddat ea, quae ad Sacramentalem Confessionis usum spectant, licitè potest eam sequi.

Quatuor tamen cum limitationibus, 1. Ut solum agatur de honestate actionis, & non in casibus secundae Assertionis, 2. Nisi aliunde constet, aliam fuisse mentem legislatoris, 3. Nisi opinio benigna repugnet receptae consuetudini loci, 4. Nisi opinio, quae secundum se est probabilis, ob particulares circumstantias loci, temporis, personarum, &c. non sit in individuo, seu hic, & nunc practice improbabilis, *Gobat rom. 2. tr. 1. sect. 1.*

62 Tertio, aequè injustum est obligare ad indebita, quam à debitis eximere, Hinc aequè mortaliter peccat, & ad restitutionem tenetur Confessorius, qui ex culpabili negligentia in

lore exanimanda obligat ad restituendum peccatorem, qui non debet, quam qui de obligat eum, qui debet. Et si laxitate erraverunt plures, rigore erraverunt alii. Sic S. Cyprianus dum dicit: Baptizatos ab Hæreticis necessariò rebaptizandos. Manichei tenentes non esse licitum carnibus vesci, &c.

63 Sæpe audivi dictum. *Extrema sunt vitia: In medio consistit virtus.* Et Ecclesiastes cap. 7. ait: *Iustus perit in iustitia sua, &c. Noli esse iustus multum, neque plus sapias, quam necesse est, ne obliuiscaris.* Hæc addidi, non quia sententiam negativam improbare velim, sed solum ut rigoris titulus illi favere non videatur.

64 Inde clara est solutio ad rationem in oppositum, videlicet, quod sequens opinionem minus probabilem, se exponat periculo peccandi. Qui enim eligit opinionem verè probabilem, licet minus probabilem, aut minus tutam, non se exponit periculo peccandi formaliter, quia prudenter operatur, & qui prudenter operatur, non peccat; nam qui peccat, imprudenter operatur.

65 Et licet contingere possit, quod actus ille revera sit contra præceptum, & quod opinio revera sit falsa, non officit. 1. Quia actus ille solum erit peccatum materiale, quatenus revera à parte rei actus est prohibitus, seu contra præceptum, & opinio est falsa; at non erit peccatum formale, quia talis malitia, & falsitas, non est prudenter cognita, nec voluta; imò actus est prudenter cognitus conformis præcepto, & opinio ut vera. 2. Quia etiam id contingere potest in propositione putata probabiliori, contingere inquam potest, ut propositio, quam tu putas probabilior, sit revera falsa, & tua operatio secundum eam sit contra præceptum, ac proinde peccatum materiale; quod evidenter cogitat Deo; nam ex duabus propositio-

nibus contradictoriis una est necessariò vera, altera falsa. Hinc plures propositiones modò sunt damnatae, quæ antea probabiliores putabantur à plurimis.

66 Tertio, quia qui sic operatur, operatur juxta sententiam in actu signato probabilior; nam sententia, quæ concedit eligi posse opinionem minus probabilem, quando agitur de sola honestate actionis, est probabilior, & tutior: Probabilior, quia magis accedit veritati, ut consideranti rationes patet, & ut tenent omnes ejus sectatores: Tutior, quia minuit innumera pericula peccati formalis; minuit enim tot obligationes, quot sunt opiniones probabiliores in intellectu operantis; tutius autem est vitare pericula peccati formalis, quo Deus certò offenditur, quam alicujus peccati materialis, quo certò Deus non offenditur, cum à culpa mortali excuset ignorantia invincibilis, aut verè probabilis.

Hinc ait Cardenas *dis. 4. c. 1. n. 8.* opinionem minus probabilem, quæ est verè probabilis, *improprie vocari minus tutam; quia formaliter est tutissima, & solum dici materialiter minus tutam, quatenus exponitur peccato materiali.*

67 Quarto, quia qui operatur sequens opinionem verè probabilem, habet conscientiam practicè certam, quod licitè operatur; ultra enim actum opinatum directum, explicitè, aut virtualiter habet actum reflexum, quo certò judicat se licitè operari, dum hic, & nunc operatur secundum opinionem verè probabilem.

68 Dices 1. Qui sequitur opinionem minus probabilem, relicta opinione sibi probabiliori, agit contra conscientiam; agit enim contra iudicium proprium, quod oppositum magis veritati accedat; igitur peccat. 1. Quia ad Rom. 14. *Quod non est ex fide, peccatum est. Et ex C. Ex literis de restit. spoliat. Quod sit*

contra conscientiam, adhibet ad gehennam: 2. Quia agit cum formidine de opposito, & se exponit periculo peccandi.

Resp. negando antecedens; hic namque non agit contra conscientiam, sed juxta conscientiam certam; certum inquam est 1.

Quod opinio, de qua loquimur, licet sit minus probabilis, sit verè, & certò probabilis; quia gravi nititur fundamento. Et quia (ut advertit Mendo) opinio certò probabilis non amittit suam probabilitatem per aliam probabiliorem, sed per aliam certam; quoniam probabilitas soli certitudini, aut falsitati opponitur. Et major probabilitas non excludit falsitatem: Hinc ex Arist. *Adulta falsa sunt probabiliora veris.*

Certum insuper est. 2. Quod quilibet possit prudenter, & licitè operari juxta opinionem verè, & certò probabilem; igitur certum est, quod possit quis prudenter, & licitè operari juxta illam.

Quod judicium est certum, cum sequatur ex duabus præmissis certis, & hoc judicium est conscientia: Conscientia enim est judicium conclusionis particularis, seu dictamen de actione, hic, & nunc licita, vel illicita, ex n. 5.

Unde, qui hic, & nunc agit juxta opinionem minus probabilem, non agit probabiliter, & cum formidine, sed certò certitudine, quod actio sit prudens, & licita; agit enim juxta judicium ultimum jam explicatum, quod est certum; adeòque actio agentis remotè fundatur in probabilitate, & formidine, proximè verò in certitudine judicii ultimi, quod est conscientia. Quod sufficit, ut quis prudenter, & licitè agat, absque eo, quod periculo proximo peccandi se exponat; alioquin nulla actio, quæ per opiniones regulatur, esset licita; quia eo ipso, quod est opinio, licet probabilior, formido remota non potest à judicio ultimo excludi. Sufficit igitur ad licitè operandum, quod con-

scientia certitudinem talem habeat, quæ formidinem proximam excludat.

Tum quia (ut ait Mendo) regula operandi non est probabilitas, sed recta ratio: videlicet ultimum judicium practicum, seu conscientia; adeòque, sicut non tenetur quis ad melius in genere boni, ita neque ad certò probabilius in genere certò probabilis.

Item: quia hic operans potest habere judicium reflexum, quod opinio, quæ sibi apparet minus probabilis, sit probabilior, imò in se vera; & quidem prudenter; quia regulariter opinio, quæ uni, aut eidem modo apparet probabilior, alteri, aut eidem postea apparet minus probabilis.

Confirmatur: quia qui sic operatur, non judicat opinionè probabiliorem esse veram, alioquin judicaret oppositam, juxta quam operatur, esse falsam, cum una sit veritas; sed solum judicat eam magis apparere veram, sæpè autem, quæ magis apparent vera, re ipsa sunt falsa. Hinc Cajet, 2. 2. qu. 10. art. 7. in fine: *Contingit aliquando magis apparere, percipi, satisfacere, & movere argumenta falsa, quam solutiones eorum.*

69 Dices 2. Qui agit juxta opinionem minus probabilem in concursu opinionis probabilioris existentis in eodemmet suo intellectu, judicat actionem suam esse probabiliter, imò magis probabiliter illicitam; ergo peccat.

Resp. cum Verricelli *traît. 2. quest. 11. n. 4.* Judicium illud de malitia actionis esse speculativum, non practicum; nam eo ipso, quod voluntas se determinat ad agendum juxta judicium, quod habet, quod actio sit verè probabiliter licita, practice, & exercitè judicat esse licitam, & sic non peccat, sed solum adest tunc formido peccati minimè judicium practicum, quod peccat.

Confirmat, ut sequitur: *Alioquin sequeretur*

tur (quod etiam fatetur Cajet. t. 1. opusc. ult. resp. 1. in fin.) scrupulosum, qui cum iudicio praeferre (scrupuloso operaretur, mortaliter peccare, quod est durissimum; nam de votissima muliere, & viri scrupulosi infinita peccata mortalia quasi die committerent; cum tamen doctissimi Confessarii nec eos audire curent, imò etiam sine praemissa Confessione plerumque iubent sacram accipere Eucharistiam.

70 Plures rationes in oppositum fileo, quia satis solvuntur ex dictis. Aliæ confundunt probabilitatem cum dubio, in quo iam dictum est, n. 32. partem tutiorem esse eligendam. Aliæ confundunt consilium cum præcepto, quando non negamus, consilium esse sequi opinionem probabiliorem. Aliæ demùm loquuntur non de vera probabilitate, sed de tenui, quam quidem iam respuendam esse diximus n. 63.

Fator tamen, quòd, si stante probabilitate opinionis, tu habeas promptum modum ad indagandam certam notitiam veritatis, ad eam tenentis; & ea habita, juxta eam operari obligaris, relicta omni opinione tam minus probabili, quam probabiliori, quia certitudo omnino vincit opinionem, cum essentialiter excludat formidinem; tunc enim evadis certus de falsitate opinionis.

Hinc accedente aliqua experientia, quæ rem certam reddat, aut determinatione Ecclesie, haud amplius licet sequi opiniones prius putatas probabiles, ei oppositas.

71 Ex his sequitur, 1. aliud esse opinionem esse probabilior, & aliud esse tutiorem. Opinio dicitur probabilior, quatenus ex vi rationum apparet magis veritati accedere. Dicitur tutior, quæ magis excludit peccatum: unde in dubio, an emiseris votum, licet tutius sit, si exequaris, sic namque nunquam committes peccatum, neque materiale; probabilis autem est, quod non obligaris, quia non est facienda

solutio certa pro debito incerto: in quo autem sensu sæpè opinio probabilior dici potest etiam tutior, vide n. 29.

72 Secundò, posse unum sequi opinionem probabilem alienam; quia tunc non dicitur agere contra conscientiam propriam, sed suam conscientiam conformare alienæ; & facere hic, & nunc propriam conscientiam alienam prudentem, fortè verior em; sæpè enim amor proprius obnubilat intellectum. Eadem ratione potest quis dare consilium juxta sententiam suæ contrariam verè probabilem.

73 Tertio, teneri Confessarium absolvere penitentem aliàs dispositum juxta sententiam ipsius penitentis, dummodo sit verè probabilis; quia penitens habet jus ad eligendam opinionem verè probabilem, & ut aliàs dispositus absolvatur.

74 Assertio 2. Non licet sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, si exinde sequatur certa injuria, aut periculum gravis mali sibi, aut tertio, vel si adsit conventio, aut lex in contrarium; sed tunc tenemur sequi opinionem probabilior, & tutiorem.

Ratio est, quia opinio tutior est, quæ non exponit periculo certæ injuriæ, aut gravis damni proprii, vel alieni; minus tuta est, quæ ad id exponit; ex præcepto autem tenemur in nostris actionibus vitare certam injuriam, aut grave damnum proprium, vel alienum; adeòque sequendo opinionem minus probabilem, & minus tutam, non possumus actionem nostram cohonestare, quando ex illa sequitur periculum certæ injuriæ, & gravis damni. Unde, si quod propè arborem mo veri vides, probabile putes esse feram, probabilius tamen, aut etiam probabile putes esse hominem, abstinere debes à jaculando ob periculum gravis damni, usquequò majori, & sufficienti

ienti adhibita diligentia, firmiter iudices esse feram.

IN SACRAMENTIS,

75 **T**Am administrando, quam recipiendo non licet sequi opinionem probabilem relicta tutiori, quoad valorem, extracatum necessitatis; quia exponeretur sacramentum periculo frustrationis, quod nodum cedit in grave damnum recipientis, qui exponitur periculo, ut privetur fructu sacramenti, verum etiam in certam injuriam, & irreverentiam Sacramenti, quod exponitur periculo, ut frustretur sine, ad quem fuit à Christo institutum.

Ubi Pontifex (ut vides) vult te debere sequi opinionem tutiorem, etiamsi tutior sit minus probabilis; Cardenas *disf.* 3. nam absolute excludit opinionem probabilem in concursu tutioris.

76 Hinc non licet baptizare in lixivio, aqua rosacea, nivali, aut in digito: quia hæ opinioniones probabiles sunt minus tutæ, quæ exponunt Sacramentum periculo frustrationis; non hæ opinioniones oppositæ negativæ.

77 Licet autem in casu necessitatis, quia tunc dictæ opinioniones minus tutæ evadunt per accidens tutiores in comparatione ad earum omissiones; unde, si in necessitate baptizandi infantem, non ad sit possibilitas habendi aquam naturalem, aut eum abluendi in capite, licitum est eum baptizare sub conditione in lixivio, in digito, &c. quia in tali casu tutius agis salutem animæ infantis, quam nullo modo eum baptizando.

78 Sacramenta enim, cum fuerint à Christo instituta in salutem fidelium, in casu extreme necessitatis, de mente legislatoris, cedunt juri suo, ne exponantur periculo nullitatis, ut fideles non exponantur periculo damnationis: Et inde fit, ut per accidens Religioni prævaleat charitas succurrendi salutem animæ extreme indigenti.

79 Eò maxime, quia in hujusmodi casu nulla injuria Sacramento irrogaretur; quia exerceretur sub conditione prudenter concepta, ut ritè advertit Sieri *n.* 80.

80 In his autem casibus, in quibus Sacramentum confertur juxta opinionem minus tutam, aut cum requisitis dubiis, Sacramentum, necessitate cessante, est iterandum sub requisitis certis. Hinc infans ex necessitate baptizatus in digito, baptizari debet in capite, hoc apparet; idque ob charitatem proximo debitam, ne exponatur damnationis periculo, cum fuerit baptizatus juxta doctrinam dubiam, aut probabilem minus tutam.

81 Quando agitur de solo modo administrandi, aut recipiendi sacramentum, qui non redundat in valorem, quatenus valor semper est certus, licet sequi opinionem minus tutam, sed verè probabilem, juxta dicta in 1. assertionem: *v. prop.* 1. *damn.* ab Innoc. XI. *p.* 5.

DE VALORE SACRAMENTI,

Quantum ad ea, quæ pertinent ad jurisdictionem Ministræ.

82 **D**idacus de la Fuente Hurtado in sua Theol. Refor. novissime anno 1701. edita, tenet circa jurisdictionem, & alia, quæ ad valorem Sacramenti ex dispositione Ecclesiæ requiruntur, licitum esse uti opinione probabili; quam sententiam dicit esse moraliter certam, & firmat auctoritate quam plurimum Doctorum.

83 Cardenas *disf.* 2. *n.* 139. refert, quod sequitur: *Discunt aliqui, se audivisse à Theologis Romanis, qui adverserunt tractatus de condemnatione harum propositionum, non fuisse intentionem Pontificis, nec S. Congr. quod damnatio primæ propositionis intelligatur de eis, quæ pertinent ad jurisdictionem, cujus concessio, extensio, vel limitatio spectat ad Ecclesiam, sed dumtaxat de eis, quæ sunt juris divini, scilicet*

de paribus Sacramenti Pœnitentiæ.

84. Quidquid autem de hoc sit. Præmitto cum Cardenas, quòd licet sit juris Ecclesiastici jurisdictionem Sacerdoti conferre, ampliare, aut restringere de jure divino est, quòd nullus Sacerdos possit validè sine jurisdictione absolvere. Colligitur ex Trid. sess. 14. cap. 7. quo præmissis.

85. Dico: In Sacramentis, tam administrando, quàm recipiendo, extra casum necessitatis, non licet sequi opinionem probabilem minùs tutam relicta tutiori, quoad jurisdictionem ministri, nisi opinioni probabili addatur circumstantia, quæ reddat jurisdictionem moraliter certam. Cardenas cit.

86. Ratio prima: partis est eadem de nu. 79. quia jurisdictionis spectat ad valorem Sacramenti, ita ut sine ea non minùs frustaretur Sacramentum, quàm sine materia, forma, aut intentione.

87. Ratio secunda: quia tunc non sumus in linea pœne opinionis probabilis, sed in linea doctrinæ certæ.

DECLARATUR.

88. Talis circumstantia adest, si sententiæ minùs tutæ accedat determinatio Ecclesiæ; Decisio Sacrorum Canonum, consentiendo; communis sensus Theologorum, & Prætorum; aut si opinio tutior sit improbabilis, non verè probabilis, sed tenuis probabilitatis, vel suspensiosa.

89. Hinc primò. Tutius est ad Sacramenti pœnitentiæ valorem, si adhibeamus contritionem seu amorem benevolentia. Et tamen sententia docens sufficere attritionem, est licita in præcepto, quia quamvis non sit ab Ecclesia definita, est moraliter certa; nam Alex. VII. per Decr. die 5. Maji 1667. in virtute S. Obedientiæ, & sub excommunicatione S. Sedis reservata, prohibuit ulli parti censuram infligere.

90. Et ritè, quia timor gehennæ sine amore benevolentia, potest per se excludere omnem voluntatem, & amorem peccandi. Hinc Math. 1. Christus timore ad pœnitentiam invitat: *Dico vobis: timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam.* Insuper attritio ex puro timore gehennæ est actus honestus, utilis, & supernaturalis; est enim donum Dei, & impulsus Spiritus sancti, ex Trid. sess. 14. cap. 4. *Illam verò attritionem, quoniam ex gehennæ metu communiter concipitur, h voluntatem peccandi excludat, &c. declarat donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsus, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis sine Sacramento pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.* Vide propositiones 14. & 15. ab Alex. VIII. damnatas.

91. Secundo. Tutius est in articulo mortis cum Sacramento in re licere actum contritionis: & loquendo de mediis necessariis ad salutem tenemur sequi sententiam tutiorem: Et tamen licetè doceamus, in articulo mortis nos non teneri confiteri cum contritione perfecta, *Dian. plurib. in loc. & Sieri n. 116.* quia, quòd Sacram. pœnitentiæ sufficiat cum attritione, est moraliter certum.

92. Id dico de contritione quantum ad Confessionem secundum se consideratam. Caterum independentè ab illa, si aliis temporibus, magis in articulo mortis quilibet fidelis ex præcepto tenetur ad eliciendos actus fidei, spei, & charitatis. Item etiam tunc tenetur ex præcepto charitatis elicere actum contritionis, non pro valore Sacram. secundum se considerati, sed quia cum non sit physice certus de Ordinatione, & de Baptismo Ministri, in eo articulo, ex quo pendet aeternitas, debet suæ animæ salutem consulere omni meliori modo, quo potest.

93 Tertio, tutius est cum D. Th. 2. 2. q. 88. art. 1. Quod Summus Pontifex non possit in Voto solemnī castitatis dispensare, & tamen, ut refert ex publicis historiis, Del Bene p. 2. de Inquisit. d. 236. sect. 65. per. 21. Alex. III. dispensavit cum Nicolao Justiniano Veneto Monacho professō, ut, ne ejus illustri familia extingueretur, uxore duceret; quod fecit, & novem filiis susceptis ad Monasterium rediit, miraculis postea clarus. Innoc. II. dispensavit cum Ramiro Monacho professō ob mortem Regis Aragoniæ sui Patris, & sic uxorem duxit, & Regnum. Cælestinus III. dispensavit cum Constantia filia Regis Siciliæ Moniali professā in Monasterio S. Salvatoris Panormi, ut nubere Henrico sexto Imperatori, Greg. XIII. dispensavit cum Germano Cardinali Loyolæ Sacerdote professō, & Provinciali Capuccinorum. Clemens III. dispensavit cum pluribus Religiosis professis Equitibus Alcantaræ, & Calatravæ, ut uxorem ducerent, eo tempore, quo castitatem absolutam vovebant, Itā Del Bene.

94 Cujus ratio est, quia nulla est firma ratio in contrarium. Non ratio voti; quia inducit obligationem humanam, cum sit promissio facta ab homine. Et aliās neque in votis simplicibus possit dispensare. Nec solemnitas; quia est inducta ex solo jure Ecclesiastico, ex c. unico, de voto.

95 Cui non obstat ratio opinionis oppositæ, quod votum castitatis sit essentialiter annexum statui religioso; quia hoc solum probat, quod status religiosus non possit consistere sine tribus votis solemnibus, quæ proinde dicuntur vota substantialia Religiosi: at non probat, quod status religiosus sit homini essentialis, ut non possit ab illo divelli.

96 Eò maxime quia status religiosus non consistit in aliqua consecratione distincta ab ipsa obligatione votorum, ut status ordinis sacri. Solum igitur sequitur, quod non possit fieri

ri Monachus sine votis minime quod non possit fieri de Monacho non Monachus.

97 Insuper non est minus solemnne, & annexum statui religioso votum paupertatis, & obedientiæ, quàm castitatis; & tamen potest Summus Pontifex ex causa in illis dispensare, Del Bene cit. sect. 67.

98 Quarto, Tutius est, quod Summus Pontifex non possit dispensare in matrimonio rato: Et tamen plures Pontifices dispensavere. Et ex justa causa licite posse, docet communis, sicut potest matrimonium ratum per professionem religiosam dissolvi, ut ostendimus infra, cum de Indissolubilitate matrimonii.

99 Quinto, Tutior est opinio, quod, qui urgente necessitate Communionis, aut ex bona fide, & cum Confessario nesciente peccatum esse reservatum, unā cum non reservatis confitetur reservatum, non sit absolutus à reservatis: Et tamen licite docemus, & tenemus esse indirectè à reservatis absolutum; quia hæc sententia est moraliter certa, tam ob rationem intrinsecam, quæ in se in suo loco, quàm ob praxim communem, & consuetudinem, quæ dat jurisdictionem.

100 Sexto, Tutius est, in Confessione dumtaxat venialium aut mortalium aliās ritè absolutorum, explicare numerum: Et tamen ad eum nos non teneri licite docemus: quia sententia negativa est moraliter certa; nam sicut venialia, & mortalia aliās ritè absoluta sunt materia libera, & voluntaria quoad substantiam, ita quoad numerum; & contraria opinio, vel est tenuis probabilitatis, vel scrupulosa.

MEDICUS,

101 Tenetur tutiore ad adhibere medicinam, si possibilitas adsit, tam ex charitate, quàm ex justitia, si mercedem accipiat, ratione pacti impliciti cum infirmo de tutiori medicina adhibenda: unde medicus confide-

considerare debet tam suas rationes, & experientias, quam auctoritatem peritorum. In calu autem, quo desperatur vita infirmi, adhibere potest medicam incertum, quia tunc per accidens evadit tutius, ut in simili n. 77.

PERSONA PRIVATA,

102 **N**on potest propria auctoritate occupare rem ab alio bona fide possessam, licet probabile, imò probabilius puterem esse suam, quia ex reg. 36. de reg. juris: *Bona fides tantumdem possidendi praestat, quantum veritas, quoties lex impedimento non est.* Et ritè, aliò pax publica mutuis rapinis, & violentiis perturbaretur.

R E X,

103 **N**on potest Bellum alteri indicere ad invadendum Regnum ob justitiam probabile, & non certum; ob gravissimam damna, quae ex bello sequuntur: Tum quia alteri faveat possessio. Subdit tamen communis Doctorum, quòd tunc *res decidit potest per judicium, vel arbitros: quòd si altera pars iudicio stare nolit, propter hanc injuriam potest invadere.* Mendo in Epit. ver. Bellum n. 1.

104 Cum injustè invaditur, & alia media non sufficiunt, potest indicere bellum.

105 Offerenti ante primum conflictum rem, & sine prudenti dubio simulationis plenam satisfactionem, non licet bellum inferre. Quòd si conflictus praecesserunt, & hinc inde mores, non tenetur à bello desistere; quia se habet ut Judex procedens secundum justitiam vindictivam contra perturbatores sui Regni Mendo in Epit. n. 6.

106 Bellum potest esse non materialiter, & à parte rei, sed formaliter utrinque justum, quatenus unus certò judicat habere jus certum ad rem, & revera habeat; alter certò judicat

idem, sed cum invincibili ignorantia juris certè alterius.

107 Milites (nisi eis de injustitia constet) praesumere possunt bellum esse justum, & à Principe diligenter per Theologos, & viros Doctissimos (uti debet) examinatum: vide de Bello.

J U D E X,

108 **S**i causa maturè examinata invenerit unam partem esse probabiliorē, non potest decidere juxta minùs probabilem; sed tenetur opinionem probabiliorē eligere; ad quod obligatur ex contractu, quem cum Republica tenet, de ministranda justitia meliori modo, quo potest, per quem cessit juri suo de utendo opinione minùs probabili.

109 Tum quia Judex est institutus à Republica, seu Principe, ut unicuique juxta merita causae jus suum tribuat, ne sit acceptator personarum; pars autem illa, pro qua stat opinio probabilior Judicis, majora habet merita, & majus jus in causa; adeòque juxta ea decidere debet: v. Propos. 2. ab Innocent. XI. damn.

110 Hinc, quando litigantes habent pro se opiniones aequè probabiles, peccat mortaliter Judex, & ad restitutionem tenetur, si munera accipiat, ut ad unius potius favorem sententiam proferat: v. Prop. 26. ab Alexand. VII. damn.

111 Unde dicunt plures: *Quando autem una pars non appareat altera juxta probabilior debet Judex, vel rem inter litigantes ex aequo dividere, vel si dividi nequit, alter utrique parti satisfacere. Nisi forte alter litigantium, vel sit possessor, vel sit reus, cui etiam contra actorem faveat possessio. Excipi etiam solent causae, quae vocantur pie, & privilegiatae, quales sunt causae pro matrimonio, dote, libertate, pupillo, pro quibus judicandum est, caeteris paribus,*

D

paribus,

paribus, etiam contra reos; quia *ius positivum* ita disponit. Jus, quod ita disponit, est *cap. fin. de sent. & re jud.* Et quidem ita Judex se gerere debet, quando putat, rationes partium esse æquè probabiles; alioquin esset acceptator personarum.

112 Judex, si sit moraliter certus de probabilitate suæ opinionis, non potest suum iudicium alieno iudicio subicere, quia est moraliter certus de obligatione iudicandi. Si verò non sit moraliter certus de probabilitate, sed solum probabiliter putet, eam, esse probabiliorem (ut sæpè contingere solet) tunc potest alieno iudicio se conformare; cum enim non habeat certitudinem de sua probabilitate, potest aliorum peritorum iudicium melius existimare.

113 Quòd Judex sequi debeat opinionem probabiliorem, est univèrsaliter verum tam in causis civilibus, quàm in causis criminalibus; per hoc autem non sequitur, quòd in causis criminalibus non possit Judex sequi opinionem directam minùs probabilem, si opinio reflexa, seu ultimum iudicium; *Quòd secundum eam sit decidendum*, sit probabilior: ita Cardenas, qui adducit exemplum: dato inquam, quòd hæc propositio directæ: *Judex teneatur admittere appellationem in causa capitali*, sit minùs probabilis; Judex sic discurret per aliam reflexam: *Hæc opinio, quòd Judex teneatur admittere appellationem in causa capitali, est reo favorabilis; igitur est ad praxim deducenda*: ubi licet prima propositio directæ sit minùs probabilis, secunda reflexa, seu ultimum iudicium, quòd juxta eam sit decidendum, est probabilius, imò certum, nam Judex iudicare debet juxta opinionem reo favorabiliorem, *ex reg. 11. juris in 6. Cum sunt partium iura obscura, reo favendum est potius, quàm actori: & rectè, quia reus est in possessione suæ innocentie, qua spoliari non debet, nisi certò conset de*

delicto; non constat autem certò, si pro reo fiat opinio directæ minùs, sed verè probabilis, adedque iudicium ultimum reflexum, quo Judex iudicat, esse decidendum juxta opinionem directam minùs, sed verè probabilem, & consequenter etiam in causis criminalibus verum est, quòd Judex debet sequi opinionem probabiliorem.

QUÆRES I.

114 *An Judex teneatur condemnare eum legitime per testes convictum, quem tamen privata scientia (quatenus, v. gr. occisorem vidit) nescit esse innocentem?*

115 Certum est, quòd teneatur adhibere omnia media ad eum liberandum, putà impediendo accusationem, utendo aliis examinibus, & diligentius ad compertendam testium falsitatem, dissimulando custodiam carceris, ut fugere possit; remittendo ad iudicem supremum, qui eum possit de potestate absoluta liberare; manifestando publicè, & cum juramento innocentiam ejus.

116 Quòd si nullum ex his præstare possit ad eum liberandum (quod non est verisimile in praxi) tunc,

117 Prima opinio tenet, Judicem eum condemnare debere. D. Thomas, *quæst. 67. art. 2.* quia Judex agit personam publicam, & sic iudicare debet secundum noticiam publicam, quæ habetur per allegata, & probata. Alias quilibet Judex fingere possit, se habere privatam scientiam de innocentia, & sic reos sibi bene affectos liberare; quod cedit in grave Reipublicæ detrimentum.

118 Secunda sententia est, quòd non possit eum condemnare, & si urgeatur, debeat à se iudicium illud abdicare: *Maffrius disc. 6. nm. 25. Filliuc. Toletus, & alii.*

119 Et licet prima sententia sit communi-

inde hac secunda, quam sequor, est mihi probabilior, quia occisio directa innocentis est ab instituto mala, ac proinde juri naturae, & divino repugnans. Unde Exodi 22. praecipitur, *Inferens, & infans non occides.* Lex vero obligans ad judicandum secundum allegata, & probata, est positiva humana.

QUAERES II.

119 An possit condemnare eum, quem scit esse reum, licet non probetur per testes?

Disco cum communioci, quod Judex inferior non possit; quia non potest derogare legibus Superioris, sed tenetur juris ordinem servare de judicando secundum allegata, & probata.

121 Judex vero supremus, uti Princeps absolutus, potest solum ad impediendum malum grave, quod ex vita illius Reipublicae immineret, quia bonum publicum est praefereendum vitae privati. Ordinariè autem non potest, quando crimen est occultum; quia jus probationis per testes, & defensionis Rei competit Reo ex jure naturae. *Mastrius cit. n. 27.*

ADVOCATUS,

122 Licet mortaliter peccet, & teneatur ad damna utriusque partis, si defendat causam manifestè injustam; non sic, si teneatur causam minus, sed verè probabilem, & sit spes, ut apud judicem satis probetur, 1. Quia saepe causa, quae uni minus probabilis, alteri probabilior apparet, 2. Quia Advocatus gerit munus clientis, qui sicut habet jus, suum probabile jus Judici aperiendi, ita & Advocatus, 3. Quia nulla exinde injuria inferitur parti, cum Advocatus causam non desinat, sed decidendam relinquat Judici juxta merita, omnibus auditis: *v. prop. 3. ab Alex. VIII. deo.*

123 Dixi: ad damna utriusque partis: Nam

teneatur restituere parti contrariae, quia fuit illi causa positiva damni: Clienti verò per omissionem, quatenus ignorantem non monuit, ad quod ex officio tenebatur. Si verò cliens erat conficius de injustitia causae, tunc non tenetur illi restituere,

124 Item peccat, & pariter ad restitutionem utrique parti tenetur, si defendat articulum justum causae injustae, ut sic partem contrariam impediatur, vexet, pervertat, &c. Vel si in progressu causae injustitiam noscat, & clientem non moneat, sed causam prosequatur. *Busem. De officio advocati.*

125 Peccat contra justitiam, & ad restitutionem damnorum tenetur, si rationes, aut secreta causae juxta clientis Parti contrariae aperiat: Si impeditus munus Advocati exerceat. Si cum praedjudicio clientum causarum expeditiones notabiliter differat, si supra vires plures accipiet, quam expedire possit: Nisi cliens super hoc monitus, attenta eximia Advocati peritia, sit contentus.

Demum peccat, si utrique Parti in eadem causa patrocinetur: Vel eadem causa, in qua est Judex aut Assessor, agat Advocatum, *Busem. cit.*

DE PROCURATORE, SECRETARIO, NOTARIO, &c.

126 Eadem respectivè dicenda veniunt. Procurator peccat, si nomine Clientis juret, ab eo non informatus, cum periculo pejerandi. Si suadeat Reo, aut Clienti legitime interrogato, ut veritatem neget. Si adducat partes ad concordiam iniquam; si peccat terminos impertinentes, aut dilationes superfluas.

Secretarius peccat, si juramentum violet. Si arcanum prodatur. Si dicta testium fideliter non transcribat, sed imminuat, exageret, mutet.

Notarius publicus peccat, si juramentum violet. Si testamentum hominis usu rationis desti-

defuiti scribat. Si solemnitates necessarias ex culpa omittat. Si a cta negligenter custodiat. Si dicta testium ante eorum publicationem parti contrariae appetiat.

Si sententiam non jam publicatam manifestet. Si a cta, seu instrumenta, maximè legata continentia, parti petenti occultet. Busem.

DE REO ET TESTIBUS.

FUSE dictum est in *Juramento Judiciali, Restrictione mentali, in 8. Prac. Dec. & in tomo 2. De Monitoriis.*

DE REO CIRCA FUGAM POENAE.

127 **H**ec tradit Busem. *lib. 4. c. 3. dub. 8. art. 2.*

Resp. Quando sententia est materialiter injusta, lata tamen secundum allegata, & probata; et si in conscientia non obliget, non potest reus Judici positivè resistere, tum ob scandalum, tum quia tali casu judex habet jus sententiam exequendi, & ad id tenetur.

Ita communiter, Less. Sanc. contra Vict. Bon. Car. de Lugo, *d. 4. n. 38.*

Dixi. *postrevè*: quia reo, etiamsi verè reus sit, licet ante, & post sententiam (quoad mortem, vel poenam morti æquivalentem, v. g. perpetuum carcerem) fugere. Ratio est, quia quilibet tam magnum jus habet ad vitæ suæ conservationem, ut nulla potestas humana obligare possit ad eam non conservandam, si spes commoda ostendatur, nisi tamen bonum publicum aliud postulet. Less. *l. 2. c. 3. d. 5. Unde resolves.*

1 Regulariter reo licet fugere, etiamsi custos carceris grave damnum inde passurus sit (saltem nisi jura verit se mansurum) quia vitatur suo jure, & nulli facit iniuriam. Filliuc. *l. 4. c. 4. n. 274. Azor. Less. d. 5. n. 31. nisi tamen charitas aliud suadeat, ob damnum eustodis præponderans. V. Bon. d. 10. qn. 3. p. 2. n. 13. Less. l. 6.*

2 Multò magis licet fugere, ne capiatur, vel etiam à ministro apprehendente, se excutere; non tamen illi vim inferre, vulnerando, percutiendo, &c. *ibid. & Reg. l. 24. n. 4.*

3 Licet etiam, saltem in foro conscientie custodes (præcisà vi, & injuria) decipere, tradendo v. g. cibum & potum, ut sopiantur, vel procurando, ut absint; item vincula, & carceres effringere, quia cum finis est licitus, etiam medià sunt licita. Et licet alii captivi, per effractum parietem simul elabantur, non tenebitur de damno, quia tantum est ejus causa per accidens, cum jure suo utatur. Nec refert, quòd leges, & magistratus quidam tales effractores graviter puniant: id enim fit, quòd vel contrariam sententiam sentiantur; vel ex præsumptione, quòd vim intulerint custodibus; vel quòd propter bonum Reipub. ea poena statuta sit. Filliuc. *l. 6. Tan. d. 4. qn. 4. dub. 5. ex aliis multis, V. C. de Lugo d. 40. sess. 4.*

4 Illis, qui non sunt ministri justitiæ, licet non solum consilio juvare reum, ut fugiat, sed etiam suppeditatis instrumentis, v. g. funibus, lima, &c. quia finem alteri licitum, illi suadere, & ad eundem media proponere licet. Less. *l. c. d. 6. n. 30. Tann. l. c. Syl. Tur. Valsq.*

5 Non tamen licet juvare in effractione carceris, ut habet communis; tum quia executio ipsa effractionis soli reo licita est, propter jus vitæ conservandæ; tum ne aliquòd omnis securitas carceris pereat. Less. *l. c. Bon. d. 10. q. 3. p. 1.*

CONSCIENTIA SCRUPULOSA,

128 **S**eu scrupulus, est inanis apprehensio, & hinc ortus timor, & anxietas, alicubi esse peccatum, ubi non est. Dicitur inanis apprehensio, quia oritur ex injustis, aut legibus motivis; & est cum incertitudine, & magna formidine alterius partis, adeoque torquet

quet animam. Nec differt à suspitione, quæ est inchoatus, & imperfectus assensus, ad unam partem inclinans.

129 Causa scrupuli sæpè est ignorantia, sæpè humor melancholicus, & tunc dicitur pusillitas conscientia, quæ contingere solet etiam in viris doctis, præsertim quoad proprias actiones.

130 Signa conscientia scrupulosa, sunt 1. si post peccatum, aut prudentis Confessarii iudicium, non acquiescat, sed adhuc maneat anxios, & inquietus, 2. Inconstantia in mutando frequenter de eadem re iudicium, 3. Frequentis formatum varietas in eadem re apprehendenda, 4. Multiplicitas reflexionum impertinentium circa innumeras rei circumstantias, 5. Experientia, quod sæpius talia sine gravi fundamento apprehenderit, licet quoad alienas conscientias resolutus, & intrepidus se habuerit.

131 Remedia conscientia scrupulosa sunt plura, 1. & principaliter eligere Confessarium peritum, aut virum doctum, & ejus consilio, & iudicio, proprio iudicio postposito, firmiter acquiescere; nec illud in examen adducere, etiam si scrupulosus sit vir doctus, 2. Fugere otium, & vagas cogitationes, quia sunt scrupulorum fomentum, 3. Nil iudicare mortale, nisi id certo sciat, 4. Scire, quod ex præteritis confessionibus nil teneatur repetere, nisi certo sciat esse mortale, aut non esse confessum, non est autem certus, quãdiu dubiat, v. infra requisiti ad peccatum mortale.

132 Et quamplures Doctores addunt, privilegium scrupulosi esse, 1. ut non teneantur in agendo ad examen, & diligentiam tantam, quantum alii; sed ad valde mediocrem, 2. quod non teneantur confiteri dubia, sed quæ certo jurate possunt, quod commiserint, ac consentiant, & non sint confessi.

133 Ratio est, quia in scrupuloso, ex nimio

timore peccandi, turbatur ratio, ut non possit rectè rem examinare; & magis turbatur, quanto magis in illa anxietate perdurat; non tenetur autem quis integritatem materialem confessionis procurare cum tanto damno anxietatis perpetua; imò cum periculo majoris mali, nam si contemnendo scrupulos, per præfata remedia se exponit scrupulosus ad aliquod periculum peccati materialis, illum non contemnendo se exponit majori periculo, nempe periculo quamplurimum peccatorum formalium; nam scrupulosus suis scrupulis innumeras obligationes indebitas sibi efformat, quas non habet vir sani intellectus; & ita dum est anxios in vitandis peccatis, eadem via ad illa se exponit, quoniam lux humana fragilitati ad labendum obnoxie innumera præcepta non vera multiplicat.

134 Quæ ratio est maximè à scrupuloso attendenda, quia est efficacissimum remedium, ut ex se scrupulos omninò deponat.

135 Non deposita, sed stante conscientia scrupulosa, si non iudicet quis esse scrupulum, peccat, sive contra, sive juxta eam operetur; quia tunc transit in conscientiam erroneam vincibilem, ac proinde eodem modo est de ea discurrendum: v. à. n. 9. At si putet, involuntarias actiones, aut omissiones contra præcepta, esse peccata, non peccat, quia non sunt libera, & repugnat peccatum, quin sit voluntarium, & liberum.

136 Licet autem operari cum conscientia scrupulosa, seu manente scrupulo, si iudicetur esse scrupulus, & contemnatur; nec tunc quis dicitur operari contra conscientiam, quia conscientia scrupulosa non est verè, & propriè conscientia, nisi transeat in erroneam. sed est umbra conscientia, ut potè fallis, aut insufficientibus motivis innixa; hinc qui ex præmissis signis, vel ex confessarii iudicio sufficienter scit se esse scrupulosum, prudenter contra

D 3 scrupu-

scrupulum agit; imò illum debet firmiter contemnere, & resolute, ac interpede contra eum operari, ut satis constat ex ratione præmissa: eò maximè quia major est scrupuli materia, scrupulis non resistere. Nec scrupulus excludit iudicium practicum probabile, aut certum, quòd contra eum sit operandum. Et tunc conscientia scrupulosa transit in conscientiam rectam, non ratione sui directè considerata, sed ratione ultimi iudicii practici supra illam reflexi, quo scrupulum patiens iudicat, licitè, & prudenter suam conscientiam scrupulosam cognitam, esse firmiter contemnendam, & contra eam operandum; quòd iudicium practicum est rectum, & moraliter certum; adeòque dicitur conscientia recta, & dictamen prudens contra imprudens.

137 Si probabiliter iudicetur esse scrupulus, nec ne, tunc conscientia scrupulosa transit in conscientiam probabilem, adeòque est uti de ea discurrendum.

138 Demùm, qui est ita perplexus, ut utrumque oppositorum iudicet esse peccatum, & non cognoscat esse scrupulum, vel quia non habet, quem consulat, vel quia ignorat præfata remedia, vel quia est ita scrupulis datus, ut iis non obstantibus, adhuc maneat dubius, an id scrupulus sit, nec ne, ac proinde se resolvere nesciat: tunc conscientia scrupulosa transit in conscientiam dubiam, adeòque est uti de ea discurrendum, ut à n. 17. debes igitur eligere id, quòd minus tibi obligare videtur. Quòd si neque valeas discernere, quòd ex duobus appareat minus, tunc potes eligere, quòd vis, quia cum necessarium sit rem facere, vel omittere, ex necessitate peccares, quòd implicat, v. n. 51. & 70.

139 Cæterùm præmissæ doctrinæ ac rationes sunt tantæ virtutis, & claritatis, ut minimè verisimile sit, quòd intellectus iis attentis, non valeat faciliter per se resolvere, nisi dicas

eum rationis expertem.

140 De conscientia tractant Scotus in 2. d. 39. qu. 2. Maltrius in Theol. moral. disput. 1. Busem. lib. 1. tract. 1. Diana p. 2. tr. 13. p. 4. tr. 3. & alibi, Bonac. to. 2. Tamb. tom. 1. lib. 1. c. 3. Caccenas de dubio, & opinione probabili, Castropal. 1. tr. 1.

CAPIT II.

DE LEGIBUS, ET PRÆCEPTIS IN GENERE,

Regula externa actuum humanorum.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT LEX,

141 **L** Ex est voluntas eius, qui præest populo debite promulgata, cum intentione obligandi subditos.

142 Dividitur in naturalem, & positivam; naturalis est voluntas superioris præcipientis, vel prohibens id, quòd iudicat habere convenientiam, aut disconvenientiam ex propria natura terminorum; quæ prout est in mente divina, dicitur lex æterna; prout autem inseritur nobis per lumen naturale, dicitur lex naturalis. Positiva est voluntas superioris præcipientis, vel prohibens id, quòd non iudicat habere convenientiam, aut disconvenientiam ex natura propria terminorum. Quæ si est voluntas divina, dicitur lex positiva divina; si humana, dicitur lex positiva humana.

143 Unde lex positiva à naturali differt, quia in naturali objectum ex se, & ab intrinseco habet, quòd sit conveniens, aut disconveniens, bonum, aut malum. In lege verò positiva objectum solum à voluntate superioris habet, quòd sit conveniens, aut disconveniens, & quòd sit obligans. Hinc lex naturalis est indispensable; talis est præcipientis amorem Dei, & veracitatem, prohibens verò odium Dei, & men-

mendacium, quia amor, & veracitas sunt ab intrinseco bona, odium Dei, & mendacium ab intrinseco mala, ita ut Deus non possit mendacium præcipere. Lex verò positiva est dispensabilis, sive divina sit, ut lex quadragesimalis jejuniis, sive humana de jejunio vigiliarum, & quatuor temporum. Inde necessarîo debuit Deus prohibere mendacium, liberè tamen potuit non prohibere esum carniùm, & non præcipere quadragesimale jejunium; & sic esus carniùm est malus, quia prohibitus; mendacium verò est prohibitum, quia malum.

144 Lex igitur positiva humana est voluntas superioris humani debite promulgata, cum intentione obligandi, non præsupponens iudicium de convenientia, aut disconvenientia rei ex natura terminorum.

145 Hac alia est ecclesiastica, quæ est à Superiore ecclesiastico, alia secularis, quæ à Superiore seculari.

146 Quando lex civilis opponitur canonicæ, observanda est canonica; quia Ecclesiastica abrogare potest leges civiles, non è contra.

147 Subiectum legis est homo subditus, rationis capax. Hinc infideles non ligantur legibus Ecclesiasticis, quia non sunt subditi Ecclesiæ, bene verò legibus naturalibus, & divinis.

DE OBLIGATIONE LEGIS.

148 **U**t lex obliget, 5. requiruntur conditiones, 1. ut sit à Superiore, 2. iusta, 3. ob bonum publicum, 4. debite promulgata, 5. & acceptata: v. n. 193. 199.

149 Ut obliget sub mortali, requiruntur duo formalia, legislatoris intentio, & materiae capacitas. Hinc potest rem gravem sub levi culpa præcipere, minime rem levem sub gravi. v. n. 2. p. 3. n. 12.

150 Lex positiva humana, tam Ecclesiastica, quam secularis, potest in conscientia obligare, ex illo Pauli cit. n. 42.

151 Debet tamen Superiores esse moderati, & non faciles in multiplicandis legibus præceptivis sub mortali obligantibus; ac proinde in mente habeant illud Matth. 23. *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt ea humeris hominum, digito autem suo non volunt ea movere.* Et D. Thom. p. 2. quest. 107. art. 4. apud Tamb. in *Met. missa lib. 3. §. 8. n. 15.* In quibus quidem legibus humanis etiam Augustinus Ep. 119. c. 19. ait, esse moderatorem attendendam, ne conversatio fidelium onerosa reddatur; & infra, *Qui Religionem nostram servilibus premunt oneribus, adeo ut tolerabilior sit conditio Judæorum, qui legalibus sarcinis, non humanis præsumptionibus subiciuntur.* D. Ambr. in *Psal. 118.* *Sunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere: v. de casibus reservatis.*

152 Qui scit legem prohibentem, sed non pœnam, in foro exteriori obligatur ad illam, faciat constare ignorantiam.

153 Regulæ, & constitutiones Religionum non obligantes ad peccatum, non sunt leges propriè dictæ.

154 Lex non prohibens actum, sed solum irritans, non ligat ad culpam; unde non peccat, qui professionem, aut matrimonium gravi metu init, licet sint irrita. Item non peccat filia renuncians hereditati paternæ, nec uxor alienas fundum dotale de licentia mariti; & tamen hi contractus irritantur. Leges enim hos contractus irritantes sunt conditæ in favorem. Mendo, ver. lex, num. 23.

DECRETUM IRRITANS,

155 **A**fficit ignorantes quoad nullitatem actus, quia se tenet ex parte formæ

mæ actus, juxta dicta de imped. Matrim. minime quoad pœnas. Fagnanus in 1. lib. Decr. in cap. Non sine de Arbitr. n. § 1. Donatus tom. I. part. 1. tract. 9. Clausula 12. n. 12.

156 Particulæ irritantes sunt: *Inane, Nullum, Irritum, Invalidum, &c. sit, si aliter contigerit attentari, fieri, &c.*

QUÆRES.

157 *An hæc clausula: aliter fieri non possit: sit irritativa.*

Non esse irritativam, tenetur plures apud Pelliz. quia potest habere bonum sensum, videlicet: *aliter fieri non possit licitè*; & odia sunt restringenda.

Dico rectius cum Fagnano in 1. lib. Decr. c. causam 8. de electione num. 20. ad 34. regulariter esse irritativam: esse autem solum illicitativam, quando aliter resularet sensus absonus legis.

Prima pars probatur; quia per talem clausulam non solum prohibetur actus, sed adimitur potestas, & facultas ad actum; nam particula *Non*, cum sit malignantis naturæ, quidquid post se invenit, destruit; unde appositam supra *potest*, destruit potentiam, adeoque reddit rem de jure impossibilem, & inde actum nullum.

Secunda pars probatur; quia leges non patiuntur clausulam ipsis dissonam. Et tunc esset, quando ex verbis legis colligeretur, eam velle actum stare; & tunc *ly non possit* æquivaleret *ly non debeat*.

158 Declarat Fagnanus exemplo: In Bulla enim Greg. XV. *Eterni Patris filius, &c.* pro electione Summi Pontificis, inter alia in §. *Matura itaque*, decernit, *Electionem aliter fieri non posse, quam in conclavi, & eo clauso, ac post celebratum prima die sacrosanctum Missa solennem Sacrificium.* Et tamen Missæ celebratio

non requiritur ad valorem; nec id intendit Pontifex, nam infra in §. *Quod si electio* ubi ponitur forma electionis cum clausula decreti irritantis, præfatum requisitum non reperitur, ex quo clarè colligitur Pontificem non apposuisse illam clausulam, *fieri non posse*, pro forma decreti. Ita Fagnanus.

STYLUS CURIÆ,

159 **M**agnam facit auctoritatem, sed non obligat ubique; nisi sit aliqua Constitutione Papæ roboratus; Mendo cit. num. 57. Et specialiter id docet Donatus tom. 1. part. 1. tract. 13. q. 17. n. 26. de stylo curiæ seu S. Penitentiariæ absolvendi, & dispensandi cum Religiosis, in casibus, super quibus ex privilegiis possunt Superiores Regulares, dicens, id fieri ad majorem cautelam; vel quia recurrens potestatem sui Prælati ignorat.

P U E R I

160 **A**n te usum rationis, qui communiter est post septennium, nullis obligantur legibus. Post usum verò rationis obligantur præceptis naturalibus, divinis, & Ecclesiasticis consistendi semel in anno, abstinendi à carnibus ovis, & lacticiis diebus vetitis, &c. Vide de casibus reservatis, & de excom.

L E G I S L A T O R,

161 **L**eges, quæ æque congruunt legislatori, & subditis, etiam legislatorum, seu Principum, obligant, non vi coercitiva, & quoad pœnam, sed vi directiva, & ad culpam, ex vi juris naturalis, quod caput debeat se conformare cum membris, & suo exemplo subditos ad observantiam promovere; nisi secum dispenfer, aut facultatem secum dispensandi alteri deleget, sicut potest cum subditis. Mendo cit. n. 24.

VAGI,

V A G I,

162 **Q**ui scilicet nullibi domicilium habent, tenentur legibus specialibus loci, ubi sunt: alias nullis legibus localibus ligantur. *Mendo.* Unde cum illis potest Superior loci dispensare, cum alium Superiorem non habeant. *Busemb. lib. 1. tr. 2. cap. 1. dub. 3. cum pluribus negat,* vagos ad illas teneri, quia non sunt subditi: nec (ait) est absurdum, quod nullis specialibus locorum præceptis, sed solum juris communis teneantur.

ADVENE, PEREGRINI, ET VIATORES.

163 **S** non venierint animo habitandi majori parte anni, sed recedendi, non obligantur legibus, & consuetudinibus specialibus loci, nisi non observando generent scandalum; & sic, si adit ibi præceptum jejunii, abstinentiæ à carnibus, &c. non peccant non jejunando, & comedendo carnes, nisi scandalum acciderent. *Signanus in lib. 3. decret. c. Consilium 2. de observ. jejuniorum, cum pluribus v. de capitulis referuntur.*

Nec tenentur ad leges locales sui domicilii, dum transeunt per loca, ubi illæ non observantur; quia sunt leges affixæ loco. *Alloza ver. lex, cum Suarez 3. p. q. 24. art. 8.*

164 Loquendo autem de legibus, & præceptis communibus, alio modo est discurrendum; unde ait Busem.

Sedam: tua consuetudine derogatum sit alio præcepto juris communis, & alio venias, ubi illud viget, eodem obligaberis. Ratio est, quia lex juris communis est universalis, & obligat omnes sine ordine ad locum.

Adducit exemplum. Si Hispanus transeat per Galliam, aut Mediolanensis transeat Romanam, non potest ille ibi Sabbatis vesci intestinalium, uti in Hispania: Nec iste primis quatuor diebus Quadragesimæ comedere carnes, uti Mediolani; quia privile-

Præf. Exam. Ecclesiast. Tom. 4.

gium illud non est personale; sed locale; & jus commune de abstinentiâ à carnibus illis diebus, obligat omnes sine ordine ad locum.

E contra Civis Galliarum, si transeat per Hispaniam, & civis Romanus Mediolano, potest ille Sabbatis intestinalium animalium vesci: Et iste potest primis quatuor diebus Quadragesimæ comedere carnes; quia tunc valet privilegium locale, quo frui possunt omnes, qui in loco morantur. Unde Peregrini non tenentur præceptis juris communis, si non sint in usu in loco, ubi morantur. Ita Busem. & Mendo.

CLERICI,

165 **T**enentur servare leges civiles, quæ non sunt contrariæ juri Canonico; nam jus canonicum est correctivum juris civilis, in quod adversatur.

REGULARES,

166 **T**enentur servare festa statuta ab Episcopo, ex *Trid. sess. 25. c. 12.* At non tenentur ad recitandum officium Clericorum. Item tenentur ad vota, & jejunia statuta ab Episcopo; nam cum sint partes populi, tenentur toti corpori se conformare.

167 Non tenentur Mendicantes Synodo Diocesana interesse, nec ejus statutis ligantur; quia celebratio Synodi Diocesana est unus ex actibus Jurisdictionis, & auctoritatis ordinariæ Episcopi; Regulares autem Mendicantes sunt exempti à jurisdictione ordinaria Episcopi, & subduntur capitulis Generalibus.

Nisi sint Curati, seu Parochi; quia tunc tenentur ratione curæ Parochialis, & ejus jurisdictioni subduntur quoad ea, quæ Parochialem curam, & Sacramentorum administrationem concernunt, ex *Trid. sess. 24.*

Præf. Exam. Ecclesiast. Tom. 4.

cap. 11. Fagnanus in 1. lib. Decr. c. quantum 7. de officio Ordinarii n. 51. Eitamen lubduntur quoad vim directivam Mendo in Epis. ver. lex n. 28. & Alloza ver. lex sect. 3. n. 3.

168 Superiores verò, & Religiosi parvorum conventuum, vocati tenentur Synodo Diocesana interesse, eisque statutis ligantur: nam ab Innoc. X. 10. Febr. 1654. & Alex. VII. 30. Martii 1661. Jurisdictioni Ordinarii subduntur, ita ut ligentur legibus suorum Prælatorum, & Episcoporum, & ab utrisque visitari, corrigi, & puniri possint; adeoque erga illos jurisdictionis Episcoporum, & Prælatorum Regularium sit cumulativa, ut detur locus præventioni.

169 Conventus parvus est ille, in quo actu non degunt de familia sex saltem Religiosi, quorum quatuor sint Sacerdotes. Innoc. X. cit. & Declar. Sac. Congreg. die 29. Novem. 1657. apud Lantuseam ver. Conventus num. 13. & 14.

SYNODUS PROVINCIALIS

170 Nil potest statuere contra Concilium Generale, & Regularium privilegia. Fagnanus in 1. lib. Decret. in cap. quod super his n. 14. & 28. de major. & obed.

171 Huc liceat afferre, quæ religiose refert P. Augustin. Matthæucci in Officiali Curie de Exemptione, &c. à num. 46. ad 49.

Tandem in favorem Religiosæ humilitatis, dicendum, quod quamquam Regulares sint exempti ab iure jurisdictionis Episcopalis, ab iure tamen reverentiali non eximuntur, sed sub mortali ad reverentiam Episcopis exhibendam tenentur, tradit Peyr. §. 24. ad Const. 26. Leonis X. incipit: Dum intra, in qua §. 24. Pontifex ipse sic Regulares alloquitur -- Eisdem insuper Fratres in virtute Sanctæ Obedientia monemus (hoc est præcipimus) ut eosdem Episcopos loco Sanctorum Apostolorum subrogatos, pro debita, & nostra, ac Apostolica Sedis reverentia,

congruo honore, & convenienti observantia venerentur.

Et Episcopos monet; -- Ipsos quoque Episcopos hortamur, ac per viscera misericordie Dei Nostri requirimus, ut Fratres ipsos affectu benevolo prosequentes, charitativè tractent, ac benigne foveant, neque illis minime difficiles, aut duros, vel morosos sed potius faciles, omnes propitios, piæque munificentiæ liberales exhibeant, ac in omnibus prædictis, tamquam in agro Domini eo cooperatores, eorumque laborum participes, prompta bonitate recipiant, eorumque jura omni cum charitate custodiant, atque defendant. --

Et Clement. frequens de excessibus Prælatorum, enunciatis triginta gravaminibus illatis per Prælatos Religiosos, §. verum, Episcopos non hortatur -- sed eis præcipit, ut Religiosos charitativè tractent, & foveant, & sua jura, & privilegia inviolabiliter servent. --

Quibus, sive Episcopis, sive exemptis, in mutua dilectionis subsidium, sensum Concilii Generalis Viennæ, per infra scripta exhibeo.

-- Verum, quia una est (sunt verba textus) Regularium, & Sacularium, Prælatorum, & subditorum, exemptorum, & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, & unum Baptisma, decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, & sicut Fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti: Decet igitur, ut & Prælati, & alii, tam exempti, quam non exempti, suis juribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non proficiat, seu jacturam -- Clement. allegata.

172 Insuper fas sit mihi, ut Illustrissimis Præsulibus, post eorundem humillimam sacrarum vestium deosulationem, proponam verba Fagnani in relato 1. libro Decret. c. quod super his 9. de major. & obed. num. 29. ut sequitur:

In primis autem dedecet ea privilegia violari ab Episcopis, quibus Regulares subserviunt, & Consultatores existunt in predicatione verbi Dei, in Sacramentorum administratione, & in ceteris, quae ad salutem pertinent animarum, ut habetur in cap. Ex auctoritate 16. quast. 1. & docet S. Thom. in 2. 2. quast. 187. art. 1. vers. Sed contra, & quast. 188. art. 4. Quapropter Host. in s. Inter cetera n. 16. versic. Hodie tamen supra de off. ordin. exaggerat valde dolendam, quod Episcopi non agnoscant, Regulares esse Consultatores suos, adjuvantes, Paracletum providere per Ordinem Predicatorum, & Minorum; licet non omnes capiant verbum istud, quod dictum referunt ibidem Joan. Andr. n. 10. vers. sic demum qui idcirco n. 11. in verb. cooperatores, conquiritur, quod Episcopi nostri temporis adjuvantes parietes, & subtrahant columnas, &c. Card. n. 3. & Sylvest. in ver. Episcopi n. 12. vers. Decimo quaritur.

QUÆRES I.

173 Quando lex obliget sub mortali?

Certum est 1. nec legem purè directivam, nec omnem præceptivam obligare sub mortali, quia plura videmus in legibus verba præceptiva, quæ solum obligant sub veniali; unde verba præceptiva debent esse talia, ut ex communi fidelium usu arguant intentionem legislatoris de obligando sub mortali. Talia sunt hæc verba: *In virtute sanctæ obedientiæ, sub obligatione divini iudicii, sub indignatione Apostolorum, &c. sub pœna maledictionis Dei sub iuramento Dei iudicio, in virtute iurisjurandi, &c.*

174 Certum est 2. legem latam sub pœna excommunicationis majoris lætæ sententiæ obligare sub mortali, minimè latam sub excommunicatione minori; quia illa non incurritur nisi ob mortale, ista ob veniale.

185 Difficultas est de aliis pœnis.

Prima sententia affirmat, omnem legem pœnalem obligare sub mortali, tam civilem, quàm ecclesiasticam, si materia sit gravis; quia Superior intendit obligare omni efficaciò modo, quo potest, & sic tam ad pœnam, quàm ad culpam gravem. Quod quamplures negant de lege civili, quia Superiores sæculares non solent obligare, nisi ad pœnam temporalem, minimè ad culpam gravem, nisi id expressè exprimant; & consuetudo est, ut subditi nullum sibi scrupulum de transgressione legum civilium faciant.

176 Secunda sententia tenet, nullam legem civilem pœnalem obligare sub mortali, sed ad solam pœnam temporalem, nisi expressè culpam gravem explicet; idque ob rationem jam relata.

Idem tenet, nullam legem ecclesiasticam pœnalem, excepta pœna excommunicationis lætæ sententiæ, si ve pœna sit temporalis, puta treremium, carceris, inhabilitatis ad officia, privationis vocis activæ, ac passivæ, &c. si ve pœna sit spiritualis, puta suspensionis, interdicti, irregularitatis, &c. si ve lata, si ve ferenda, & excommunicationis ferendæ, esse signum obligationis mortalis; nisi quando talis lex ex communi usu fidelium, & consuetudine, est acceptata, ut obligans sub mortali; quod debet certò consistere, nam in dubio standum est pro libertate; vel nisi quando talis lex exprimit culpam mortalem, vel expressè, ut si dicat: *Sub pœna peccati mortalis*, vel verba æquivalentia n. 173. relata.

Cujus ratio est, quia allatæ pœnæ possunt incurri ob veniale, imò irregularitas, & privatio sepulturæ aliquando sine ullo peccato ut patet in interdicto locali de eo, qui non dedit causam interdicto, & tamen ecclesiastica sepultura privatur. Cum igitur hæc pœnæ possint explicari pro mortali, & pro veniali culpa, & in

odiosis, ac in dubiis benignior interpretatio sit facienda, standum est pro libertate, quod afferant venialem, nisi aliud expressè constet, aut consuetudo dicat: ut in abstinentia à lacticinis diebus Quadragesimæ, ad quam quidem ex legitima fidelium consuetudine sub mortali obligamur. Ita Valentia, & Tamb. cit. cum aliis apud ipsos.

177 Probabilior autem est prima sententia, præsertim de lege pœnali Ecclesiastica, & de pœna spiritali lata; quia non est verisimile, quod Legislatores condant legem ob bonum publicum sub pœna gravi, & in materia gravi, & non intendat obligare sub culpa gravi, cum pœna fundetur in culpa.

178 Hoc autem locum habet in legibus propriè dictis, minimè in simplicibus ordinationibus, & directionibus, quales sunt Religionum Constitutiones, de quibus loquens D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 9. ad 2. ritè advertit, non omnia, quæ in lege humana continentur, tradi per modum præcepti; sed multa per modum simplicis ordinationis obligantis ad solam pœnam.

Quod etiam (ait Mastrius) in pluribus legibus civilibus potest habere locum, quando nec ex Legislatoris declaratione, nec ex pœnæ qualitate, nec ex dâni publici gravitate potest clarè dignosci, an lex aliqua pœnalis obliget sub culpa: tunc quidem potest quis in favorabilioris partem interpretari, nimirum non esse tam legem, quàm ordinationem obligantem ad solam pœnam; talis est lex, quæ dari solet in ordine ad moderatum usum vestium; ad differentiam legis præcipientis, ne extrahantur è Regno triticum, arma, &c.

QUÆRES II.

179 *An lex pœnalis obliget ad pœnam statim subeundam?*

REsp. affirmativè, si pœna non requirat actionem, sed consistat in passione ut pœnit regularitatis ex delicto, non petendi debitum ob supervenientem affinitatem.

Negativè, si pœna actionem requirat, v. gr. solutionem pecuniæ, exilium, &c. tunc enim non tenetur subire pœnam ante Judicis sententiam, nisi expressè in ipso jure statuatur, uti statuitur contra eum, qui obtinuit beneficium parochiale, nimirum, quod si intra annum sua culpa non ordinetur, teneatur illud dimittere.

Mendo ver. lex n. 32. Qui ritè addit:

180 *Aliquando tamen benignè exponuntur leges pœnales, ut intelligatur, ipso facto incurri pœnam, id est, statim ac à iudice declaratum fuerit delictum; aliàs delinquens teneatur suum delictum declarare, ut pœnam subiret, nempe simoniacus suam simoniam, si post eam commissam renuntiaret Beneficia; & hereticus sua delicta, si bona ipse traderet Fisco, & his similia. Nec frustra apponitur in lege pœnali clausula: Ipso facto incurrenda. Etenim sonat, post Judicis declarationem de commisso delicto, non requiri aliam sententiam circa pœnam subeundam, sed tunc ipso facto eam, qua in lege designata est, subire debere.*

QUÆRES III.

181 *An actus interni subdantur legi humana Ecclesiastica?*

ET primò quoad actus purè internos, qui externos non concernunt, mihi verius est, dari in Ecclesia, nedum potestatem jurisdictionis, & voluntariam, quæ in hominis utilitatem, & ad ejusdem perditionem exercetur,

cerur, qua super votis, & juramenti pure inter-
ternis dispensat; verum etiam potestatem
legislativam, & coactivam, quamvis nonnul-
li eam de facto negent esse Ecclesie communi-
catam.

Ratio est, quia potestas supra proprias
oves fuit à Christo Ecclesie communicata il-
limitate absque ulla restrictione: *Pasce oves
meas, Quodcumque ligaveris, &c.* adeoq; non
debet gratis, & ex pura congruentia restrin-
gi ad actus externos. Tum quia Ecclesia per
se respicit forum conscientie, ad eam spe-
ctat dirigere in viam salutis aeternae, & cura-
re de mediis ad eam conducentibus, qualia
sunt non solum actus externi, sed etiam inter-
ni.

182 Hinc Innoc. XI. & Alex. VII. plures
opinionem damnant, imò prohibent ad pra-
xim deduci, quae spectant ad solos actus in-
ternos: tales sunt: 1. prop. Alex. de actu fi-
dei, &c. & Innoc. 5. 6. 7. de actu dilectionis
Dei: 10. & 11. de actu interno dilectionis
proximi: 13. 14. & 15. de desiderio mortis
proximi: 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. de
actu fidei, Ex Conc. Trid. sess. 13. in Decr. de
SS. Eucharistia, interdicit, ne de SS. Eucharistia
credatur aliter, quam in decreto definitur; cre-
dere autem est actus pure internus. In Ecclesia
igitur, nedum est possibilis, sed etiam de facto
datur potestas legislativa directa in actus pure
internos.

183 Verum tamen est, in exercitio, & pra-
xi non semper actus pure internos cadere sub
lege, sed solum quando praecipit expressè, &
directè illos intendit; quod constare debet ex
verbis praecipit; nam regulariter Ecclesia non
solet praecipere actus pure internos; hinc
haec pure mentalis, esto possit directè cade-
re sub lege, & censura aeterna, de facto non ca-
dit, quia lex de haeresi formali externa loquitur.

184 Secundò, est actus internus per se
conjunctus cum externo, in quantum est ne-
cessarius, ut ponatur entitas physica actus ex-
terni, & ut actus externus sit humanus; &
isti nedum indirectè, (ut volunt quamplures,)
sed etiam directè cadunt sub potestate legisla-
tiva Ecclesiae, imò ita est in praxi; Ecclesia
enim praecipiendo recitationem Officii, au-
ditionem Sacri, &c. praecipit directè com-
plexum, seu actum mixtum ex actu externo
recitationis, & actu interno volitionis ejus;
praecipit namque actum humanum, seu libe-
rum, ad quem est necessaria volitio libera, adeo-
que directè praecipit tam recitationem, & au-
ditionem externam, quam ejus volitionem in-
ternam. Hinc lex humana praecipiens actum
externum humanum, indirectè prohibet vo-
luntatem efficacem violationis sui.

185 Hac ratione peccat mortaliter pecca-
to interno, qui decrevit omittere divinum
Officium, aut auditionem Sacri die festo,
etiam si postea mutata voluntate recitet, aut
audiat Sacrum; quia ejus volitio cadit sub
praecipit Ecclesiae, quatenus necessario requi-
ritur, ut recitatio, & auditio sint actus huma-
ni.

186 Tertio, est actus internus necessarius,
ut actus externus habeat honestatem mora-
lem, in quantum primario illum constituit in
esse morali alicujus virtutis. Et isti pariter,
nedum indirectè, (ut volunt plures,) sed etiam
directè cadunt sub potestate legislativa Eccle-
siae; imò ita est in praxi, quia Ecclesia cum
habeat suas oves dirigere ad vitam aeternam,
ad eam spectat providere de mediis aptis, ac
proinde non tantum potest praecipere actus
externos humanos, sed etiam ut involven-
tes aliquam honestatem, & bonitatem mo-
ralem alicujus virtutis; & tunc directè pra-
ecipit totum complexum ex actione externa
humana, & ex actu interno constitutente
illam

illam in esse honestatis ab Ecclesia intentæ, & sine quo honestatem non haberet.

187 Hæ ratione non satisfacit quis præcepto annuæ confessionis per confessionem voluntariè nullam, nec præcepto communionis in Paschate per communionem sacrilegâ; quia Ecclesia præcipit confessionem veram, quæ scilicet habeat honestatem virtutis penitentia, & reconciliare peccatorem cum Deo, qualis non est confessio ficta, & voluntariè nulla; unde eo præcepto Ecclesia directè præcipit actum externum confessionis, & actum internum veri doloris de præteritis culpis, & veri propositi de futuris vitandis; quia hic actus internus est necessarius ad honestatem confessionis ab Ecclesia intentam, & eam primariò constituit in esse virtutis penitentia.

De communionem etiam habetur in cap. *omnis utriusque sexus* Suscipientes reverentier ad minus in Pascha Eucharistia Sacramentum, & in Trident. sess. 13. c. 7. *Cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat. v. prop. 14. ab Alexan. VII. dam. & prop. 55. ab Innoc. XI. dam. p. 2. & 6.*

188 E contra hæresis purè externa non subiacet excommunicationi Bullæ Cœnæ; quia lex sub excommunicatione prohibet veram hæresim, ad quam constituendam necessariò requiritur error in intellectu cum pertinacia: *v. iam. 2. pag. 63. num. 258. & pag. 87. num. 281.* Quarto, est actus internus, qui licet asserat aliquam honestatem moralem actui externo, supponit tamen illum jam primariò constitutum in esse morali alicujus virtutis; unde actus internus non dicitur necessarius ad honestatem actus externi, sed illi confert honestatem, & bonitatem accidentalem; & isti etiam directè cadunt sub potestate legislativa Ecclesiæ, licet nonnulli negent. Apertè sequitur ex rationibus primæ, & tertie assertio, *n. 181. & 184.*

189 Verum tamen est, in exercitio, & præ-

xi non semper cadere sub præcepto, & lege, sed solum quando constat, præceptum expressè eos intendere, ut in simili dixi *n. 183.* de actibus purè internis.

190 Hæ ratione satisfacit præcepto jejunii quatuor temporum, & aliis ecclesiasticis, qui jejunat, etiam si non jejundet ob motivum obtinendi fructus à Deo, quia independenter à tali motivo, jejunium habet bonitatem primariam ex proprio objecto, nempe temperantia, & macerationis, quæ primariò ab Ecclesia intenditur. Tum quia Ecclesia non præcipit expressè aliam honestatem accidentalem, sed præcisè substantiam jejunii; idem dic pariter de aliis præceptis ecclesiasticis; unde illis satisfacit, qui ponit substantiam actus cum sua honestate substantiali, seu primaria ex objecto.

191 Pari ratione satisfacit præcepto jejunii, si jejunes intendens macerationem, sed concomitanter, aut consequenter habeas affectum vanæ gloriæ; quia malitia illa est accidentalis, atque concomitans, & actus jam retinet honestatem primariam temperantia ex suo objecto, quam Ecclesia intendit.

192 Si verò urgente aliqua necessitate patriæ, v. gr. fame, bello, &c. superior præcipiat, ut subditi jejument, & ut jejunium applicent Deo in patriæ levamen; ad id tenentur subditi, nedum jure naturali charitatis, sed vi præcepti, si superior obligare intendat sub culpa. Hinc subditus sub mortali tenetur Missam juxta superioris intentionem applicare ex vi præcepti obedientia.

QUÆRES IV.

193 *An lex non acceptata obliget in conscientia?*

Certum est 1. præceptum actuale, ut obliget, non expectare subditi acceptationem; quia

quia superior ecclesiasticus habet jus præcipiendi in materia sibi subordinata, independentem à consensu subditi. Unde difficultas est de lege proprie dicta, permanente.

194. Certum est 2. populum peccare mortaliter, si sine rationabili causa non acceptet legem sub mortali obligantem. Habetur ex illo Pauli ad Rom. 13. *Qui resistit potestati Dei ordinationi resistit: Et qui resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

195. Dico, legem non acceptatam obligare. Quia quando dicitur, quod lex non acceptata non sit valida, non est sensus, quod acceptatio subditorum det superiori potestatem ad legem edendam; nam Summus Pontifex, & ceteri Prælati inferiores habent potestatem condendi leges independentem à populo, ut liquet ex relato loco Pauli: *Omnis anima potestatibus subditoribus subdita sit.* Unde possunt legem condere populo invito, nisi Prælati inferiores eoque hoc limitetur à Papa. Sed solum id dicitur ex rationabili interpretatione voluntatis legislatoris; rationabiliter enim interpretamur, voluntatem Superioris non esse, ut velit astringere subditos, si ipsi rationabilem, & justam habeant causam non acceptandi. At non rationabiliter interpretamur, eum non velle ligare subditos, si subditi sine rationabili causa, sed ex proprio libito, acceptare non velint; imò tunc rationabiliter præsumitur superior in subditos tunc indignatus.

196. Hinc concluditur, quod lex sine rationabili causa non acceptata, non cesset obligare; præsertim si superior instet pro legis acceptatione, & observantia: v. prop. 28. *Alex. VII. dnm. p. 2.*

197. Si lege non acceptata, superior non instet pro acceptatione, & observantia, tunc contra eam habet locum præscriptio, & consuetudo, ut in n. 153. sive superior sciat, sive nesciat. Nunquam introduci potest consuetudo

contra legem, superiore instante, & urgente pro observantia legis: v. n. 243.

198. Si petas, an toto tempore medio intra decem, aut quadraginta annos, peccent subditi, qui contra legem consuetudinem introducunt? Affirmat Bonac, quia cum adhuc consuetudo non sit firmata, viget lex. Negant Becanus, Maltrius, & alii, aliterentes: *Subditos esse tutos in conscientia, quando consuetudo ita invaluit, ut plerique etiam boni viri eum sequantur.* Quia tunc rationabiliter præsumitur de superioris benignitate, quod non velit, nec patiatur subditos: per multum tempus in mala conscientia permanere, & tempus pro consuetudine fundanda requiritur, præsertim pro foro externo, ut in eo vim habeat.

199. Et Basem. addit: Si post longum tempus videant non observatam, credere possunt esse sublata per præscriptionem.

Sola igitur lex ex rationabili, & justa causa à majori parte communitatis non acceptata, non obligat, n. 195.

200. Dicta etiam locum habent pro legibus à Principibus absolutis latis cum intentione obligandi ad mortale, quorum aliqui, licet eligantur in Principes, & Reges ex consensu populi, electi autem sunt ab eis independentes quoad leges ferendas; non enim supponuntur electi cum conditione, & conventionione, ut leges non condant sine consensu, & acceptatione populi.

QUÆRES V

201. *An Abbatissa, vel Priorissa possit imponere suis Monialibus præcepta obligantia ad mortale?*

Certum est cum com. posse imponere præcepta obligantia ad mortale, si materia sit gravis, aut ad veniale, si materia sit levis, & loquendo de præceptis temporalibus, quæ scilicet concernunt finem temporalem, & politicum,

cum, nempe rectam Monasterii gubernationem quoad bonum pacis, disciplinæ, observantia, & conservationis familiaris.

Ratio est, quia Abbatissa competit potestas civilis, & politica, Oeconomica, & domestica, uti matrifamilias, & major, quàm matres habent respectu filiorum, quia ei competit virtute Regulæ, & subjectionis à Sede Apostolica approbatæ; unde potest imponere præcepta spectantia ad domesticam gubernationem obligantia ad culpam gravem, aut levem, ne pax, disciplina, observantia, & conservatio familiaris corrumpatur.

202 Hinc potest præcepta imponere, ne Moniales litteras, aut donaria recipiant, ne ad crates ad colloquendum cum extraneis accedant, ne è speculis, seu fenestris cum exteris per viam transeuntibus colloquantur, (quod quidem scandalo esse solet) aut ibi actus irreligiosos, & immodestos habeant.

203 Difficultas cedere præceptis spiritualibus, ordinatis scilicet ad finem spiritualem, seu supernaturalem.

Et quidem de illis negat Pelliz. *de Mon. cap. 4. sect. 3. Diana par. 5. tract. 9. res. 16. uterque Ledesma*, & quamplures apud eos; quia Abbatissa, utpotè femina, est incapax potestatis, & jurisdictionis spiritualis in suas subditas; sed habent solam civilem, & politicam, uti materfamilias in ordine ad gubernationem domesticam; adeoque non posse præcipere Moniali, ut Divinum Officium recitet, Missam audiat, & similia, in quantum profectum spiritualem subditarum concernunt.

204 Similiter, nec posse præcipere *in virtute Sanctæ Obedientia Nomine Christi, In virtute Spiritus Sancti*; quia est usus jurisdictionis spiritualis, quam non habet.

205 Unde si Abbatissa præcipiat sub peccato Moniali, ut recitet divinum Officium, si Monialis omittat semel, aut bis, non peccabit

graviter ex vi præcepti Abbatissæ, sed ex vi præcepti, quod aliunde omnes Moniales ligant quia Abbatissa solum præcipere potest tale recitationem ob finem temporalem, nempe ob bonam Monasterii gubernationem, in ordine ad quam omittit Officium semel, aut bis. est in materia levi. Si verò id præcipiat Prælati regularis suo subdito, si subditus omittat semel, peccabit mortaliter; quia finis Prælati regularis potest esse spiritualis, nempe profectus spiritualis sui subditi, in ordine ad quem commissio unius officii est materia gravis.

206 Abbatissa igitur est solum executrix regularum, & tantum imponere potest præcepta illa, quæ conducunt ad rectam Monasterii gubernationem in pace, & sine scandalis, Prælati verò regularis potest in suis præceptis etiam profectum spiritualem suorum subditorum intendere; adeoque potest ea omnia præcipere, quæ ad majorem eorum profectum conducunt, dum modò non sint supra, nec præter Regulam, sed directè, aut indirectè ad illam pertineant. Ita Pelliz.

207 Dico, Abbatissam, seu Priorissam posse suis Monialibus præcipere, *in virtute Sanctæ Obedientia*; & præcepta formalia, ac spiritualia imponere, quæ in conscientia graviter, aut leviter obligent, juxta gravitatem, aut levitatem materia. *Melphien com. c. 11. stat. 7. assert. 11. Castropal. tom. 3. art. 16. dis. 4. p. 2. n. 3. Rodr. Lezana, & alii apud Dianam par. 5. tr. 9. res. 16.*

208 Ratio est primò; quia officium Abbatissæ est officium Ecclesiasticum, quod si pretio comparetur, erit simonia, qualis non esset, si nulla potestas spiritualis ei esset annexa.

209 Secundò; quia Abbatissa, utpotè femina, solum est incapax jurisdictionis, & potestatis spiritualis, quæ spectat ad claves, & dependet ab ordine; qualis est potestas censuras

ferendis

ferendi, absolventi, benedicendi, &c.

Potestas autem, & jurisdictio præceptiva, & correctiva, non spectat ad claves, nec dependet ab ordine, sed est superioritati annexa; unde in ordine minorum etiam competere potest laicis, quia possunt ibi esse Guardiani.

210 Nec ei repugnat, quia spiritualis; nam (ait Melphi) de facto, gratiam, characterem baptismi, & habitus infusus, qui spirituales sunt, recipit; sicque (ex disparitate non assignanda) erit capax potestatis jurisdictionis spiritualis correctivæ, quoniam ejus usus, non est usus clavium, nec dependet ab ordine. Tum quia Moniales auctoritate Apostolica professionem emittunt, & Obedientiam volunt, ac Regulæ observantiam in manu Abbatis.

211 Non dicas cum Pelliz. cit. Moniales ei promittere obedientiam, cujus est capax, nempe ut matrifamilias, & quoad ea, quæ ad rectam gubernationem Monasterii spectant; atque etiam, si spiritualia Abbatissa præcipiat, v. gr. recitationem Officii, Missæ auditionem, &c. illa præcipere, non ob finem spiritualem, sed ob temporalem solum, prout ad rectam domesticam gubernationem Monasterii spectant.

Non enim juvat, quia gratis dicitur. Nam in manu Abbatissæ professionem emittunt, & obedientiam volunt absolute, absque ulla restrictione. Et talis emissio professionis, & voti magis principaliter, non finem temporalem, sed spiritualem, nempe Religiosarum spiritualium profectum intendit: hic est finis institutionis Religionum utriusque sexus.

212 Illud tamen est notandum, utramque potestatem præcipiendi, tam temporalem, ut matrifamilias, quam spiritualem correctivam, ut Superiorissa, esse subordinatam Superiori majori, nempe ordinatio. Unde, si hæc ei imposuerit, ut ipso inconsulto præcepta

Præf. Exam. Ecclesiæ. Tom. I.

non imponat, non potest, eo inconsulto, imponere. Quod valet ordinarius facere; quia in præceptis imponendis requiritur eximia prudentia, quæ non solet in mulieribus reperiri: v. n. 151.

QUÆRES VI.

213 *An Declarationes Sac. Congr. Conc. Trid. in authentica forma exhibitæ habeant vim legis?*

PRIMA opinio tenet non habere vim legis, ac proinde non tollere probabilitatem opinionis oppositæ, sed solum esse magnæ auctoritatis. Verricelli tr. 2. q. 6. Diana p. 1. tr. 10. resol. 29. Bonac. de legib. disp. 1. q. 1 p. 8. n. 4. Port. Ver. Cardinalium Declarationes, & alii multi apud ipsos. Quorum ratio præcipua est, quia hæc declarationes non publicantur; non enim affiguntur ad valvas in locis publicis, ut fit in constitutionibus Apostolicis; sed solum traduntur partibus, quarum interest, sigillo, & subscriptione munitæ: Et de essentia legis (ex pluribus juribus) est promulgatio, itaut ante illam lex obligare non possit.

214 Secunda sententia, quam sequor, docet habere vim legis, ac proinde obligare in utroque foro, Rodr. q. Regul. tom. 1. q. 11. ar. 2. Miranda in Man tom. 2. q. 26. art. 11. Castropal. tom. 1. tr. 3. disp. 5. p. 3. §. 1. n. 6. Fagnan. lib. 1. Decr. c. quoniam 13. de consuet. à n. 6. & alii permulti apud eos.

215 Ratio est, quia hæc Declarationes fiunt auctoritate Papæ, & illo consulto, videlicet auctoritate à Papa ipsis Cardinalibus tradita interpretandi Decreta Concilii, ipso consulto, ut constat ex Bullis Pii IV. *Benedictus Deus* 25. Jan. 1563. *Sixti V. Immensa*, §. *Deo auctem Patri*, 21. Jan. 1487. Declaratio autem legis facta ab eo, qui à Principe, seu legis conditore habet jus interpretandi, non differt à lege declarata, l. *hominis*, §. *rei*, §. *Verbum*

F

*bum ex legib. ff. de verbor. signif. l. qui testa-
mento. §. Mulier. ver. argumento, ff. de testa-
mento.*

216 Declarationes igitur Sac. Cong. Conc. nil aliud substantialiter sunt, quam ipsa Decreta Concilii ex se obscura, dubia, aut male intellecta; ac proinde eandem vim habent, quam ipsa decreta. Cum igitur Decreta habeant vim legis in utroque foro obligantis, ita & ipsa declarationes; nam qualitates omnes legis declaratae censentur inesse illius declarationi, *in l. nihil.*

217 Hinc non obstat fundamentum opinionis oppositae; quia haec declarationes non sunt novae leges, sed ipsae leges Concilii. Nec obligatio ad culpam, & poenam, oritur ex ipsa lege declarante, sed ex lege declarata; & ideo non exposcunt solemnitatem publicationis; sed sufficit illa, quae facta fuit in ipsius legis editione.

218 Caterum (ut advertit Fagnanus) ipsa Congregatio Concilii, quando vult novam legem condere, eam prius à Summo Pontifice approbatam, & roboratam, solemniter publicare facit, ut patet in Decreto *de Apostatis & ejectionis. De rebus Regularium non alienandis. De Celebratione Missarum, &c.* Non sic in legis declaratione; quia haec non facit novum jus, sed quod prius erat, manifestat.

219 Illud certum est, Declarationes, seu Decreta S. Congr. Concilii non obligare, nisi consent authenticè; ex Decreto ejusdem Sac. Congr. Concilii apud Lantuscam *in Theatro Regul. ver. Congregationis Concilii Decreta.* ut sequitur.

Sacra Congr. Conc. ex speciali jussu Urbani VIII. mandat, & praecipit. hujusmodi declarationibus tam impressis, & imprimeendis, quam manuscriptis, nullam fidem esse in judicio, vel extra, a quoquam adhibendam, sed tantum illis, quae in authentica forma, & solito sigillo, &

subscriptione Eminentiss. D. Card. Praefecti, & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium, munita fuerint. Die 29. Augusti 1621. prout in Regeſto hujus Congregationis, fol. 124.

220 Idem disponit S. Congr. Rituum pro Decretis ejusdem S. C. Rituum.

M E T U S

221 **G**RAVIS cadens in virum constantem metus, inquam, aut periculum non levis, sed gravis damni, nempe vitae, mutilationis, infamiae, aut jacturae bonorum, qui non leviter, sed probabiliter, & prudenter timetur, excusat à praecepto positivo, sive humano, sive divino; similiter & gravis difficultas, aut urgens necessitas, de qua in praeceptis particularibus; quia leges positivae, etiam divinae, sunt accommodatae humanae conditioni, juxta illud Matt. c. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.*

222 Hinc in tali periculo, aut metu, vel urgente necessitate, non tenemur ad jejunium, ad auditionem Missae die festo, ad integritatem materialem confessionis, ad solutionem decimarum, ad non communicandum cum excommunicato vitando, &c.

223 Non excusat autem, si id cedat in majus Reipublicae damnum, aut si ad transgressionem legis cogamur in contemptum legislatoris, vel fidei; tunc enim ad observantiam legis tenemur, etiam cum periculo vitae; quia bonum publicum est preferendum privato, & contemptus legis, aut fidei, est ab intrinseco malus. Constat exemplo Eleazari Machab. lib. 2. cap. 6. vide dicenda de charitate, & tom. 2. n. 420.

224 Eadem ratione metus gravis non excusat à praecepto positivo divino respiciente bonum commune status Ecclesiae, qualia sunt omnia praecepta positiva Christi, ad administrationem

strationem sacramentorum pertinentia, uti est sigillum confessionis consecratio in duplici specie, consecratio sacramentorum secundum debitam materiam, & formam.

225 Item non excusat à præcepto naturali negativo prohibente rem ab intrinseco malo, & quæ nulla valeat ratione cohonestari; quia hæc non potest per metum malicia spoliari huiusmodi sunt odium Dei, negatio etiam purè externa fidei, mendacium, pollutio voluntaria, accessus ad non suam, occisio directa innocentis, &c. unde ob metum mortis non licet mentiri, &c.

226 Occisio indirecta innocentis potest sepe excusari, ut evenit in eo, qui occidit aggressivum iniuste; in milite, qui iuste bellum gerens, emittit globum tormentarium, & interficit simul cum hostibus pueros innocentes; & in eo, qui fugiens persequentem, puerum innocentem, quem vitare non potest, conculcat in via: in his namq; & similibus casibus excusatur à culpa, & cohonestatur occisio innocentis, quia non alterius occisio, sed propriæ vitæ, quæ alienæ prævalet, iusta defensio intenditur, per accidens autem contingit mors innocentis.

227 Eadem ratione metus gravis nedum non excusat à culpa committentem, sed neque proximè cooperantem ad actiones intrinsecè malas, & quæ nulla valeant ratione cohonestari. Hinc Innoc. XI. damnavit prop. 51. *Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat heretici suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, &c. non peccat mortaliter, sed faciat metum notabilis detrimenti, puta, ne à domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, &c. v. prop. 51.*

228 Ubi Pontifex supponit, famulum esse scientem mali, & non eum damnat in dubio, nam in dubio mali possessio stat pro innocentia, & ex pure quilibet est præsumendus bo-

nus, nisi certo constet, quod sit malus.

229 Ulterius propositio metum notabilis detrimenti explicat, videlicet, *ne à domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Unde in terminis propositionis damnatæ non videtur comprehendi metus notabilioris detrimenti, puta assiduarum vapulationum, mortis, &c.

230 Cæterum dico, non licere famulo ob metum notabilioris detrimenti cooperari ad stuprum heri, &c. tenendo scalam, &c. quia talis cooperatio non est remota, sed proxima: & actio illa famuli, licet in se absolute considerata sit indifferens, hic, & nunc est proxima, & determinata ad malum; unde sicut commissio actionis ab intrinseco malæ, ex nullo metu potest cohonestari, ita nec cooperatio proxima, & hic, & nunc determinata ad eandem actionem ab intrinseco malo, cuiusmodi est stuprum, &c. quoniam actus essentiali malitiam sumit ab objecto, & in casu idem objectum ab intrinseco malo, est commissionis, & cooperationis proximæ objectum.

231 Dixi in n. 227. & quæ nulla valeant ratione cohonestari, quia dantur aliquæ actiones ab intrinseco, quæ in aliquibus circumstantiis possunt aliqua ratione cohonestari, in quantum amittunt rationem formalem intrinsecè malam: huiusmodi est furtum, quod est ablatio rei invito rationabiliter domino; potest autem dari casus, ut ablatio rei non sit invito domino, aut si invito, non rationabiliter invito, & tunc ablatio rei amittit malitiam intrinsecam furto, quia amittit rationem formalem furti, & ut melius, cum de furto, & restitutione; non sic est stuprum, quod quidem ita intrinsecè malum, ut nulla valeat ratione cohonestari.

LEX HUMANA CESSAT

232 **P**Luribus modis, per dispensationem, aut abrogationem factam à legislatore,

tore, vel ejus successore. Non potest inferior abrogare legem superioris, aut dispensare, nisi ex delegatione superioris.

Vel nisi tales sint circumstantiæ, ut habeat locum Epicheia de præsumpta intentione, & voluntate Superioris; ita ut aliàs Superior esset crudelis. De quo fusè dicitur, *de dispensationib. in matrim.*

233 Epicheia respicit casus particulares, sicut lex communes.

234 Secundo, si cesset finis adæquatus legis; minimè, si partialis. Hinc cessat obligatio correctionis fraternæ respectu alicujus personæ individui, quando emendatio non speratur: *v. tom. 2. n. 430.*

235 Tertio, per præscriptionem, aut consuetudinem in contrarium: *ut à n. 244.*

236 Quarto, si lex sit fundata in præsumptione, si de contraria veritate constet, cessat lex, quia præsumptio cedit veritati. Unde si lex sit edita ad aliquod malum vitandum, si in aliquo casu cognoscatur, nullum ejus esse periculum, cessat lex. *Com.*

CONSUETUDO

237 *Est jus non scriptum, ortum ex longo, & continuo usu.*

Ut consuetudo habeat vim legis, requiritur, quòd sit rationabilis, de consensu Principis, aut legitime præscripta: *Rationabilis* dicitur, si non sit contra jus naturale, divinum, contra Religionem, contra Ecclesiæ libertatem, sed de materia honesta, & utili communitati.

238 Actus, ex quibus oritur, debent esse eum frequentia, voluntarii, publici, & notorii. Quæ consuetudo debet esse à toto populo, & communitate, aut saltem à majori, & saniori ejus parte frequentata.

239 Consuetudo est triplex, 1. *secundum legem*, & hæc dicitur *optima legum interpret.*, 2. *præter legem*, 3. *contra legem*.

240 *Consuetudo præter legem*. Est, quæ novam obligationem inducit. Ad hanc, ut ad mortale obliget, requiritur, quòd sit introducta à toto populo, aut majori, & saniori ejus parte, cum animo se obligandi ad mortale. Hinc consuetudo abstinendi à lacticiis die Sabbati non obligat ad mortale; quia licet sit communis, non fuit introducta cum intentione, & animo se obligandi ad mortale; ut constat ex communi Doctorum mente. Cui non obstat contrarius sensus plurium; quia est sensus saniorum, sed plebis, simplicium, & mulierum.

241 Insuper requiritur præscriptio, ad quæ exposcitur, & sufficit decennium, sive sit consuetudo civilis, sive Canonica, seu Ecclesiastica, etiam si princeps sit absens.

242 *Consuetudo contra legem*. Est abrogativa, & destructiva legis. Non potest dari contra legem divinam, jus divinum, contra jus naturale, & gentium; quæ si detur, dicitur abulus, & corruptela extirpanda.

Hinc contra vota non potest dari præscriptio; quia licet importent obligationem humanam ab homine factam, concernunt jus divinum, cum *Votum sit promissio facta Deo.*

243 Potest autem dari (si habeat conditiones requisitas) contra leges civiles, Ecclesiasticas, & Canonicas, contra impedimenta dirimentia de jure humano, contra ritus Sacramentorum; minimè contra horum substantiam, Mendo *in epit. ver. consuetudo n. 20. Gobat. tom. 1. tr. 9. n. 23.*

244 Hæc potest dupliciter introduci. 1. Per viam *Conventiæ*, ex consensu saltem tacto Principis, seu legislatoris; eo scilicet sciente, & tolerante, cum faciliter contradicere posset, si vellet. Et tunc non requiritur rigorosum tempus præscriptionis, sed sufficit, quòd tanto tempore consuetudo sit continuata, quantum viris prudentibus sufficit, ad

ratio-

rationabiliter iudicandum, Principem in eam consensisse.

245 Hac ratione, ut lex dicatur non usu recepta, nec inde acceptata, & non obligare, non requiritur decennium; sed sufficit, quod non fuerit observata, sciente Superiore, seu legislatore tolerante, & non contradicente, cum facilitate possit. Vericelli *tr.* 3. q. 2. n. 32. *Str.* 8. q. 52. n. 9.

246 Secundo. Per viam *Prescriptionis*, videlicet ignorante, & nesciente Principe. Et tunc ultra recensitas condiciones requiritur tempus decem annorum contra legem civilem, quadraginta verò annorum contra legem Canonicam, & Ecclesiasticam.

CONSUETUDO

247 Potest tollere poenam, imò irritatioem actus, & non obligationem legis quoad culpam. Hac ratione plures poenae sunt abrogatae. Pirhing. *lib.* 1. *tit.* 4. *de Consuetud.* §. 8. quia tantum potest consuetudo, quantum lex scripta, si requisitas habeat condiciones.

248 Lex, si exprimat, quod non possit per consuetudinem contrariam abrogari, non potest per eam derogari; quia non censetur consuetudo honesta, quae fuit prohibita. Solum potest derogari, si circumstantiae legis sint mutatae, ut prudenter iudicetur, legislatorem consentire in consuetudinem eam derogantem: v. n. 197.

249 Per legem universalem non derogatur consuetudo, nisi de ea fiat expressa mentio, sicut nec privilegium.

250 Nec consuetudo immemorabilis (i. e. scilicet, de cuius initio non exiit memoria hominum,) derogatur per legem derogativam consuetudinis, nisi de ea fiat specialis mentio. Quod Gonzal. *ad reg.* 8. *Cancel. glossa* 31. *num.* 2. Barboisa *de clausulis claus.* 87. n. 8. & Anton. à Spir. *S. consult.* 2. *num.* 17. di-

cunt, esse verum, quando ratio, & finis derogationis consuetudinis non est idem in consuetudine immemorabili, quam in memorabili.

251 Si consuetudo contra legem consistat in omissione actus, ut praescribat contra legem, non sufficiunt *actus negativi*, quatenus scilicet nunquam se obtulit occasio exequendi actus legis; sed requiruntur *actus privati*, quatenus se obtulit occasio exequendi actus legis, & hoc non obstante fuerunt omitti, Mendo *ver. lex.*

QUÆRES

252 *An ad derogandum legi per consuetudinem requiratur bona fides?*

Certum est, non requiri bonam fidem, si sit sermo de consuetudine introducta per viam *Conventientiae*; quia tunc derogatio legis non procedit ab ipsis actibus contrariis, qui quidem facti cum scientia legis contrariae, in principio, in fieri consuetudinis fuerunt mali: sed à consensu saltem tacito legislatoris, qui sciens, & potens faciliter contradicere, si vellet, tolerat, & non contradicit.

Sed difficultas est de derogatione per viam *prescriptionis*.

253 In qua re aliqui apud Pirhing. *lib.* 1. *tit.* 4. *de Consuetud.* §. 8. tenent, non requiri bonam fidem; quia sicut consuetudo, ut obliget, requiritur, quod sit introducta animo obligandi; ita pariter, ut derogat legem, requirit, quod sit introducta animo eam derogandi, & consequenter cum cognitione legis, & cum scientia, quod actus sit contra legem: cum autem bona fides excludat scientiam, sequitur, quod abrogatio legis per consuetudinem non compatitur cum bona fide.

254 Dico. Abrogatio legis per consuetudinem introductam per viam purae praescriptionis non potest haberi sine bona fide. Pirhing. *loc. cit.* & est probabilior sententia. Probatur; quia possessor male fidei non potest

præscribere, nam ad præscriptionem requiritur bona fides,

255 Ad hoc igitur, ut abrogatio legis habeatur per viam præscriptionis, requiritur bona fides, aut quòd cum mala fide sit conjuncta conniventia Principis, videlicet consensus saltem tacitus, aut rationabiliter præsumptus legislatoris: *vid. num. 197. Gobat. tom. 1. tract. 9. num. 24.* Suadetur. Ablatio rei facta scienter non est legitima, nec excusat à restitutione, nisi habeatur consensus, saltem rationabiliter præsumptus, domini, quo removeatur à linea furti rei alienæ: igitur ablatio legis facta scienter non est legitima, nec excusat ab observantia, nisi habeatur consensus, saltem rationabiliter præsumptus, legislatoris, quo removeatur à linea furti juris alieni.

256 Hinc sequitur, quòd in casu consuetudinis introductæ per viam puræ præscriptionis non derogetur lex à principalibus, qui mala fide contra legem egerunt, sed à successoribus, qui quidem agunt contra legem bona fide, putantes se non teneri eam legem servare, cum videant illam à suis antecessoribus non observatam: quilibet enim præsumendus est bonus, nisi certo constet, quòd sit malus.

De legibus, agunt Scotus *in 4. dist. 3. quest. 4. litt. B. dist. 44. quest. un. & alibi.* Maiorius *in Theolog. mor. disp. 2. Diana par. 1. tract. 10. & alibi.* Joan. de la Cruz, *ver. de legib. Bonac. tom. 2. par. 2. Tamb. tom. 2. de meth. missæ lib. 3. cap. 1. §. 8. Bufemb. lib. 1. tract. 2. Cardenas in Crisi Theol. tract. 3. disp. 32. & 34. & Fagnanus cit. Gobat. pluribus in locis. Castro-pal. tom. 1. tract. 3.*

SACRA POENITENTIARIA.

257 *Instructio Parochorum, & aliorum Confessariorum pro Casibus, quorum Absolutio, vel Dispensatio spectat ad Sacram Pœnitentiam, seu ad Sedem Apostolicam.*

Cum sciam, multos inter Christi fideles utriusque sexus, ubique locorum existentes, Censuris, Irregularitatibus, impedimentis Votorum, & Matrimonii, aliisque hujusmodi casibus ad Sacram Pœnitentiam, seu Sedem Apostolicam spectantibus, respectivè irritos diù permanere, imò interdum miserè perire, tanti mali causam ex his fontibus provenire comperi.

Primò, quia Parochi, vel alii Confessarii, in quorum manibus hujusmodi Pœnitentes veniunt; si præsertim, qui curi, & in pagis extra Civitates habitant; sæpissimè nesciunt, ad quem in Urbe pro remedio confugiant, qui vel absolutionis, vel dispensationis Litteras à Sacra Pœnitentia obtinere iis procuret. Unde fit, ut hac cura deposita, Pœnitentes, vel ad Episcopos, vel ad alios mittant, ad quos illi præ rubore, ac verecundia (Fœminæ præsertim) accedere verentur.

Secundò, alii verò, qui suos habent Romæ Procuratores, tantam pecuniæ vim pro expensis exigunt, ut hi præ inopia tantis sumptibus impares omninò recedant; & fortè sibi persuadeant, (quod longè pejus esset) Sacrum Tribunal Pœnitentiariæ pro dictis Litteris aliquid lucri reportare.

Tertiò, Facit etiam nonnullorum Confessariorum incogitantia, ut gratiæ obtente irritæ sint, quia casus, & casuum circumstantias necessariò explicandas malè interdum exponunt: quo fit, ut litterarum Executores præmissò Pœnitentium examine rem aliter se habere, quàm exposita fuerit, comperiant, ac proinde dictas

dicitur litteras exequi non possint, Unde Pœnitentes quasi desperati pro novæ gratiæ impetratione remedio privati manent.

Quartò. Accidit etiam non rarò, ut Pœnitentes obtentis litteris, non possint in suis pagis facile reperire Doctorem Theologiæ, vel Sacrorum Canonum (his enim ut plurimum litteræ Sacræ Pœnitentiariæ inscribunt) aut saltem ille suspectus sit, nec etiam in vicinia eos, quippe qui procul absunt, difficile adire possint. Unde litteræ suo carent effectu, ac mitteri Pœnitentes in suis sordibus perseverare coguntur.

His præmissis, cum certum sit, Sacræ Pœnitentiariæ Tribunal salutem dumtaxat animarum intendere, & omnia gratis concedere, ex illius Parochiis, & Confessariis aliquot capita à me proponi pro remedio indicatorum commodorum.

Primò. Ubi accedit aliquis ad illos casus quospiam ad dictum Tribunal pertinente laborans, examinet diligenter Pœnitentem, ut rem totam sincerè aperiat: observent genus Censuræ: scrutentur etiam facti circumstantias. Item inquirent de Pœnitente, an sit vir, aut femina: An Laicus, aut Clericus, an Regularis, aut Secularis, an Sacerdos, vel in Ordine sacro, aut simplex Clericus, aut Monialis, &c. Item appellent genus censuræ incursum, & casum, ex quo incursum est, an publicus, vel occultus, sit circa Irregularitatem videant, an ex delicto, & ex quali delicto, cum suis circumstantiis an ex defectu, & ex quali defectu; an ex homicidio, aut mutilatione; an ex violatione censuræ. In matrimonio inquirent, quale sit impedimentum; an reverà occultum, an de contracto matrimonio, vel de contrahendo agatur. Item quid causæ allegentur pro dispensatione obtinenda: (idem fiat pro votis, scilicet, quæ causæ pro commutatione, & ad quem effectum;) sed præsertim de Clerici percussore

disquiratur, ad Urbem pro Absolutione si accedere non valeat.

Secundò. Habita vera totius causæ notitia, scribant casum in charta quocumque caractere, dummodò legi possit, idque sive latina, sive qualibet alia cujuslibet Regionis nativa lingua, ommissis inutilibus, relicto etiam nomine, & cognomine pœnitentis (quamvis nullum sit periculum, rem, & personam prodendi) nisi fortè ageretur de Censuris inflictis cõtra publicos Clericorum Percussores, & Duellantes in publicum; tunc enim nomen, cognomen, & Diocesim exprimant. In occultis verò per simplex N. N. proceditur, & casum sic inscriptum directè mittant per postam, seu communem Tabellarium publicum Romam Majori Pœnitentiario in hunc modum.

Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Majori Pœnitentiario.

Qui certè pro sua humanitate, & charitate libenter omnes audiet; jubebit litteras expediri, & rescribendo mitti curabit.

Tertiò. In Litteris tamen Romam ad eum missis significent, quomodo, & qua via responsum mittendum sit per Postam, seu communem publicum Tabellarium, terminando litteras Eminentiss. inscriptas in hunc ferè modum.

Dignetur Eminentia vestra rescribere N. N. in Civitate N. pro talis Oppido N.

Sic autem casum proponent.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. Sacerdos contraxit Irregularitatem ex homicidio occulto ab eo ob talem, vel talem causam clani tali modo patrato, vel procurato in persona hominis laici. Ab eo tempore non abstinuit ab exercitio ordinum, vitandi scandalis causa, vel ne se proderet, sive abstinuit, sed cum diu absque scandalo abstineret non possit, humillimè supplicat pro remedio.

N. N. Con-

N. N. Contraxit matrimonium cum muliere, cujus matrem antea carnaliter cognoverat, concius, vel nescius impedimenti [quod occultum est] quare cum absq; scandalo separari non possint, humillimè supplicat pro remedio.

N. N. Mulier emisit Votum Castitatis perpetua; Sed cum adfit, vel futurum esse prævideat periculum incontinentiæ, humillimè supplicat pro dispensatione ad effectum nubendi.

Sed cum innumeri sint casus, in quibus supplicari debet Eminentiss. Cardinali M. Pœnitentiario, innumera quoque sunt supplicationum Exemplaria, pro quorum notitia hæc indicasse sufficiat.

Denique, si in illo Oppido, seu Civitate, in qua Eminentiss. Pœnitentiario [ut præfertur] scribitur, non fuerint Confessores, Doctores in Jure Canonica, vel Magistri in Sacra Theologia, vel si ad sint, Pœnitens non possit de facili induci eis aperire suam conscientiam, cum jam aperuerit alicui Confessario non graduato, hoc ipsum in litteris missis ipsi M. Pœnitentiario significatur; quod idem significandum est, si Confessarius Gothicum characterem legere nesciat, quia [uti spero] de opportuno remedio providebitur.

Quod si fortè aliquando tardaverit responsum Eminentiss. M. Pœnitentiarum, tunc poterunt Confessarii seu Pœnitentes iterum scribere, ut si fortè fuit deperdita prima epistola, altera manus Eminentiss. M. Pœnitentiarum perveniat, & ex his adjuvante Deo præmissis omnibus incommodis providebitur, & animas fratrum nostrorum Deo nostro lucrabimur. Hortantur Parochi, & Confessarii, ad quos præsentis litteræ pervenerint, suis Confessionariis illas affigere, & aliis quantum poterunt rescribendo, live typis mandando communicare pro animarum salute.

FORMULA I.

258 Eminentissime, & Reverendissime Domine.

N. N. sub verbo, & promissione matrimonii deosculatus est mulierem liberam, & cum ea tactibus impudicis operatus est extra vas, ob recentitam promissionem consentiente; postea carnaliter cognovit ejus matrem conjugatam, nescius supervenientis impedimenti, quod est occultum: Imò mater, & filia ita se habent, ut neutra sciat delictum alterius. Deinde perfectè destoravit allatam puellam sub eadem spe, & promissione matrimonii; quòdque delictum etiam est occultum; modò non potest absque scandalo, & periculo vitæ, quod ex ejusdem parentibus utriusque immineret, à promissione resilire. Non absque scandalo, quia licet delictum sit omninò occultum, tota tamen vicinia putat facta esse sponsalia, & matrimonium expectat. Non absque periculo, quia mulier relicta, & promissione frustrata, faciliter in odium conversa, rem suis Patri, & fratribus aperiret, ut novissimè in casu prorsus simili hic paucis ab hinc mensibus cum gravi, & lethali damno contigit. Item cum ei Romam accedere non permittebatur, tam quia est pauper, quia sic rem aperiret, facti verè pœnitens, humillimè, & in Jesu Christi visceribus supplicat pro remedio, & quàm citius pro dispensatione super affinitate in primo gradu contracta, ad effectum contrahendi matrimonium cum eadem, cui illud promissit; nam ex mora grave & certum ei vitæ periculum imminet. Dignetur eminentia vestra rescribere N. N. in Civitate N. Interim Orator ad eminentiæ vestræ pedes humiliter provolutus, & pro ejusdem incolumitate precans silet, N. die 12. Julii 1702.

FOR.

FORMULA II.

219 *Eminentiff. Sc. ut supra.*

N. N. contraxit sponsalia cum muliere libera, quam consentientem prius sub ipse matrimonii desloraverat, cujusque matrem, & locum conjugatas antea carnaliter cognoverat, consensu impediti: quod est occultum; ne proinde cum absque scandalo, & valde gravi vitæ periculo, quod ex ejusdem parentibus immineret, à sponsalibus resiliere, vel in longum matrimonium protrahere minimè possit, atque et Romam accedere haud permittatur; facti verè poenitens humillimè, & in Jesu Christi vultibus supplicat pro remedio, & quam citius pro dispensatione super affinitate ex duplici parte in primo gradu contracta, ad effectum contrahendi matrimonium cum eadem, cum qua præmissa sponsalia inivit. Dignetur, &c. ut supra.

FORMA DISPENSATIONIS
S. POENITENTIARIE.

260 **N**. N. S. Romane Ecclesie Presbyter Card. Discreto viro Confessorii Magistro in Theologia, vel Decretorum Doctore, ex approbatis ab Ordinario per Latorem presentium ab infra scripto Specialiter eligendo, salutem in Domino.

Ex parte Latoris presentium Nobis oblata petito continebat; quod ipse aliàs in facie Ecclesie matrimonium contraxit, & successivè consumavit cum muliere, cujus sororem prius carnaliter cognoverat. Cum autem, & sicut eadem petito subjungebat, dictus Lator propter impedimentum ex præmissis proveniens, nequeat in dicto matrimonio remanere absque Sedis Apostolicæ dispensatione, & separatio inter ipsum, & dictam mulierem fieri non potest absque scandalo; ad id vitandum, ac pro suæ conscientie quiete cupit Lator à præmissis, quæ occulta sunt, &

Pæss. Exam. Ecclesiast. Tom. 2.

de quibus plurimum dolet, per Sacra Poenitentiarie officium absolvi, secumque desuper dispensari. Quare supplicari Nobis fecit humiliter, ut sibi super his de opportuno remedio providere dignaremur. Nos igitur, qui Poenitentiarie D. Papæ curam gerimus, supplicationibus hujusmodi inclinati, auctoritate Apostolica Nobis specialiter concessa discretioni tuæ committimus: quatenus, si est ita, dictum latorem, audita prius ejus sacramentali confessione, à quibusvis sententiis, censuris, & poenis Ecclesiasticis, quas propter præmissa quomodolibet incurrit, ab incestu, & excessibus hujusmodi absolvas hac vice in forma Ecclesie consueta: injuncta inde ei pro tam enormis libidinis excessu, gravi poenitentia salutari, ac sacramentali confessione peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus ut minimum semel, & quoties animæ suæ salutari expedire judicaveris; Et aliis, quæ fuerint de jure injungenda. Demùm, dummodò impedimentum ex præmissis proveniens, sit occultum, & separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absque scandalo; ex cohabitatione verò, de incontinentia probabiliter timendum esse, tibivisum fuerit, & aliud canonicum non obstat: cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensu certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses; prolem susceptam si quæ sit, & suscipiendam exindè, legitimam decernendo, in foro conscientie, & in actu sacramentalis confessionis tantùm, & non aliter. Ita quòd hujusmodi absolutio, & dispensatio in foro judicario nullatenus suffragentur; nullis super his adhibitis testibus, aut litteris

litteris datis, seu processibus confectis, sed presentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis lata sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum illarum exemplum exeat; neque eas latiori restituas; quòd si restitueris, nihil ipsi presentes litteræ suffragentur. Datum Romæ apud S. Petrum sub sigillo officii Pœnitentiariæ, 13. Julii, Pontificatus SS. D. Nostri Anno....

E X P O S I T I O,

261 **I**N qua re Innoc. XI. per Bullam incip. *Exponi Nobis*, editam die 27. Novembris 1679. concedit Lectoribus Jubilatis Ordinis Minorum de Observantia S. P. Francisci, ut literas Pœnitentiariæ Apostolicæ Doctoribus Artium, seu Magistris in Sacra Theologia directas recipere, aperire, & executioni mandare possint, & valeant.

Insuper ipse executor debet esse Confessarius approbatus ab Ordinario loci, ubi est dispensaturus, quia dispensare debet in ipsa confessione, in qua examine prius debet veritatem expositorum.

262 Pro forma absolutionis. Postquam dixit: *Absolvo te à peccatis tuis*, addat: *Et eadem auctoritate declaro te in dicto matrimonio manere, & debitum conjugale reddere posse, & debere, nec non dispenso tecum, ut idem debitum etiam exigere licite valeas. In Nomine Patris, &c.*

Si absolvi debeat ab aliqua excommunicatione, suspensione, &c. dicat: *Ego te absolvo à*

vinculo excommunicationis, &c. quam incurristi, &c. propter hanc causam N. (si sit communicatus, addatur: *Et restituo te Sacramenti Ecclesiæ, & Communionis Fidelium: (si sit suspensus) executioni tuorum ordinum officiorum, vel beneficiorum: In Nomine Patris, &c.*

263 Dispensatione peractâ, debet lacerare litteras, præsertim sigillum, ut ad probandum servire non possit; aliâs excommunicationem majorem incurrit. Buseb. *lib. 1. tr. 2. cap. 4. post. dub. 4. appendix. Tamb. tom. 2. pag. 1. & 4. vide tom. 1. De Prudentia Confess. & de Imped. cognationis in linea transv. in distantia inæquali.*

264 Dispensatus per Sacram Pœnitentiariam in voto castitatis ad matrimonium contrahendum, si dispensatio sit limitata, v. gr. ad matrimonium semel contrahendum, seu cum Berta tantum, &c. tunc ea mortua redit obligatio voti, ac cessat onus pœnitentiæ salutaris in dispensatione imposita; quia pœnitentia est substituta loco voti; & accedente principali, cessat substitutum. Si verò est illimitata, tenetur eam continuare; quia per extinctionem obligationis voti factam per dispensationem continuatur substitutio, & subrogatio.

265 Pro dispensatione super impedimentis dirimentibus matrimonium, si non sint occulta, sed publica, recurrendum est ad Datariam Romæ, exponendo causam, & paupertatem, si sint pauperes.